ANTONII RUGGIERI

IN

PONTIFICIO SEMINARIO ROMANO

ETHICAE

ANTECESSORIS

PHILOSOPHIAE

MORALIS

INSTITUTIONES

Tom. 2.

ROMAE

EX TYPIS PETRI AURELJ

1840

PHILOSOPHIAE MORALIS

INSTITUTIONES

CAPUT III.

De officiis hominum erga alios.

Vitam, statumque nostrum perficere, imo ipsam vitam conservare aliena ope destituti non possumus. Quae igitur perfectionem, ac nostram felicitatem provida natura mandavit, eadem et mutua erga alios officia jussisse dicenda est. Homo deinde cum a Deo creatus sit non ad vitam in solitudine exigendam sed ad communionem cum caeteris servandam, caeteros diligere in primis debet, pluraque erga illos implere quae sibi ab iisdem et juribus et natura aequalibus peti animadvertat. Nulla enim societas ne impiorum quidem hominum exceptis coetibus sine legibus consistere potest. Itaque huc spectans natura, mutuum nobis summopere commendavit amorem qui ejusdem legis pars esset cui nonnisi maxima criminis labe unquam deessemus. Quomodo autem hoc erga caeteros dilectionis officium a nobis

impleri posset, nisi caeterorum felicitatem promoveamus, nullamque iisdem irrogemus injuriam? Itaque ex hoc duplici amoris effectu duplex erga alios oritur praeceptum quod totam eorumdem officiorum summam complectitur, scilicet - quod tibi non vis, alteri ne feceris; quod tibi ab altero vis fieri, id alteri feceris. -

In nemine igitur laedendo, ac in suis unicuique juribus reddendis officia illa consistunt quae *justitiae*, sive *perfecta* nuncupantur, quaeque ingenita nobiscum sunt, atque etiam *absoluta* dicuntur; quae vero suo, aut alieno facto homines acquirunt, sive ex dominio, sive ex pactionibus *hypothetica* solent appellari; inter homines enim plures statuum varietates reperiuntur cum a naturali in civilem conditionem coaluerunt; alii enim Magistratus sunt, alii subditi, domini, servi quibus diversa jura insunt, ac diversae e contra obligationes, quas in naturali statu implere non cogerentur. Absoluta, autem officia cum hominum innitantur aequalitati, immutabilia prorsus sunt, et cujuscumque hominum status propria. Et re quidem vera ut homo ne laederetur ab aliis posset postulare, nullo praeter ingenitum jus, opus fuit humano instituto, quo eidem jus illud tribueretur; nemo autem e contra de rebus sibi ab altero ereptis queri posset, nisi dominium in iisdem acquisivisset, quod ex hominum facto originem

ducit, ac omnes omnino cogit ut a furto quocumque tempore abstineant. Quod si aliorum felicitati prospiciamus eosdem beneficentia juvantes, illa servantur a nobis officia, quae *imperfecta* nuncupantur et ad quae praestanda cum ex mera proficiscantur humanitate ab aliis çogi nequimus. Cavendum tamen est, ne ad haec ut fusius suo loco ostendemus, naturaliter non teneri concludamus; utrum enim ad haec officia, praestanda in peculiari quodam adjuncto obligemur cum non a judicio eadem exposcentium, sed ab alterius pendeat judicio; ideoque nullum in illis jus inest eadem etiam externa vi postulandi, ȩtiamsi obligatio eadem praestandi possit adesse. Quare imperfectum officium, cum obligatione perfecta nullimode pugnat.

ART. I.

De officiis erga alios absolutis.

Quemadmodum ex amore erga nos ipsos, perfectioni nostrae consulere tenemur, ita cum aequali caeteros dilectione prosequi debeamus, eorumdem quoque perfectioni prospicere cogimur.

In hoc autem officiorum genere praestando, ordo ille servari debet, ut caeterorum perfectio et cum nostra non confligat, et revera ope nostra

alii indigeant, secus enim ad eadem nullimode obligamur. Omnia igitur facienda sunt, ut universa tum animi, tum corporis, tum fortunae bona caeteri adipiscantur, dummodo id erga nos non neglectis officiis praestare possimus, eaque sine nobis consequi non queant.

Haec rationis praecepta natura ipsa firmavit. Undenam enim internae commiserationis sensus ex aliena miseria exoritur? unde invincibilis ille moeror, ex alterius injuria, miseria laborantis? Unde ille sensus voluptatis ex aliena felicitate, nisi a natura, quae homines ad opem caeteris ferendam excitat?

Omnia autem de quibus sermonem instituimus officia ad duo suprema capita reducuntur, ut nemo scilicet laedatur, vel contemnatur, atque damnum reparetur illatum; amoris enim lex erga alios ita universalis est perpetua, et immutabilis ut eam nunquam violare fas sit, etiamsi alii officia humanitatis erga nos negligant, et inimico etiam, infensoque animo sint. Amandus igitur est etiam inimicus, ita ut dum omnia facimus ut laesionem declinemus, dum officia etiam humanitatis suspendimus, si ex iis pervicacior evadat, nunquam tamen eum nobis liceat odisse; quae omnia naturae hominis consentanea esse patet si naturalem aversionem a vindictae cupidine et ab odio discernamus. Quare cum ex inimicitiis molestiae exoriantur, si

felicitatem custodire velimus, et eas evitare, et in gratiam inimicorum redire curabimus, quacumque offensionum acerbitate deposita; quapropter apud gentes reconciliationes laudantur, odia execratione digna non immerito habentur.

§. I.

De aliis non laedendis.

Cum aliena felicitas promovenda sit, jam illud sponte fluit, vetitas esse actiones omnes, quibus alter imperfectus reddi potest, quaeque *injuriae* dicuntur, seu generali vocabulo *laesiones*. Jam vero perfectionem hominis constituunt bona animi, corporis, et fortunae; quisque igitur vel ea bona imminuat, vel caussa fuerit cur alter ea acquirere, servare, vel augere non possit, eum laedit, ac legem naturae violat. Ea tamen huc referantur oportet, quae de actionum imputatione notavimus; eae enim laesiones tantum sunt, quae imputari possunt, et debent.

Alterum ergo non laedimus, si eidem humanitatis officium denegemus; jus enim ad istiusmodi officia imperfectum est. Huc accedit quod is cui humanitatis denegatur officium, non ob id per nos imperfectior evadit, sed manet in eo statu quo prius erat, unde ut emergeret alie-

na ope jus erat flagitandi, sed caeterorum erat judicare an petitam operam praestare possent. Itaque nemo proprie laeditur nisi ejusdem jura perfecta violentur.

Qui tamen opem ferre indigenti renuit, dum potest, naturalem violat obligationem, qua ad sublevandos homines compellitur ac jure meritoque inhumanus, et execrabilis dicitur, etsi nullum in hoc genere officiorum petendo perfectum natura jus dederit. Caeterum laesiones quas in alios admittere possumus, latissime patent, atque ex iis quae de perfectionibus animi, corporis et status externi superius memoravimus colligi possunt; quisquis enim bona haec alterius vel corruperit, vel deteriora reddiderit, vel impedimento fuerit quominus aliquod ex iis quis acquireret, eum laesisse putandus est.

Quare mens hominis laeditur aut ejusdem culturam omittendo, quae vel natura, vel pactione esset eidem tribuenda, vel eamdem pravis doctrinis imbuendo. Naturale namque parentum munus est liberorum animos expolire, vel officium hoc probis hominibus committere, qui sive privati magistri sint, sive publici, concreditae sibi juventuti rite instituendae vaeare debent. In contrarium vero vitium inciderent ii qui vel nimia severitate, vel ignorantia juvenes confundunt, aut a scientiis avertunt; maximum autem crimen admitterent, qui perversam in Re-

ligione vel moribus doctrinam traderent, qui sive jussu, sive consilio, sive metu, sive exemplo, ad prava juvenes impellerent, excusandi denique parentes, praeceptores, vel magistratus non essent, qui alios, quos ratione muneris bene instituere debebant, a vitiis non probibuerunt.

Aliorum insuper corpus laeditur, vulnere, verberibus, amputatione, tormentis, inedia, earum rerum quae vitae necessariae sunt privatione, aut denique alio quolibet modo quo corpus deterius fiat; maxime autem ipsam hominis vitam nefarie eripiendo, quod et rationali erga caeteros opponitur amori, et supremo Dei in hominum vitam dominio adversatur, illudque crimen constituit, quod *homicidii* nomine venit.

Bona tandem externa violantur, cum vel caeterorum pudicitia sive blanditiis, sive minis corrumpitur, exinde enim quam plurima in familias, ac societatem universam mala derivant; unde adulteria, stupra, caeteraque hujus generis crimina tamquam nefaria, ac juri naturali imprimis adversa putanda sunt; vel fama proscinditur, bonam de aliis opinionem extenuando, quod vel calumniis, vel illorum criminum publicatione, quae antea erant ignota fieri saepenumero solet, quae omnia principio illi adversantur, quo ea caeteris facere vetamur quae nobis fieri nollemus.

Quaedam laesionis species est aliorum contemptus, in quam incidere homines saepissime solent. Verum quia non clara est apud plerosque contemptionis idea, ejus originalis sensus est aperiendus ac naturalis verbi significatio explicanda. *Contemptio* igitur vel ad res, vel ad personas refertur. Pendet rerum pretium ex qualitate propriae, vel alienae felicitatis, quae ex earum aquisitione derivat; unde rem, cujus possessio aut parvum, aut nullum nobis vel aliis emolumentum afferat, parvi pendimus, vel nihili etiam facimus, quae duae sunt contemptionis species. Ita de rebus judicare sapientis est; insipiens autem cum bona vera ab apparentibus non probe discernat, ea contemnit quae voluptati suae adversantur; ea autem plurimi facit quae ei aliquo modo blandiuntur.

Eadem est personarum ac rerum contemptus origo; homines enim eos despiciunt, qui veram felicitatem, cum possent non sunt consequuti, internas nempe dotes, ac externa adjumenta quibus sibi aliisque prodessent. Igitur cum neminem laedere neque proinde contemnere debeamus, non tamen hoc praecepto verum hominum pretium statuere nobis interdicitur; sapientis enim est aliorum imperfectiones novisse; sed illud tantum praescribitur ut sensum despicientiae ratione, ac benignitate temperemus; quemadmodum enim stultum esset alios sine causa

spernere, ita de occulta alicujus imperfectione judicium nulla morali necessitate impellente proferre, inhumanum.

Itaque si alterum sine caussa spernimus eo, quem ipse meretur honore ipsum fraudamus; cum vero honor aliquid felicitati addat, ac felicitatem aliorum promovere teneamur, patet neminem temere, et sine caussa spernendum esse.

Quod si quis alios contemnat, eo quod se aliis velit praeferri, ac tanti fieri quanti se facit, *superbus* dicitur; *comis* si cuique suum tribuat honorem; *adulator* si plus honoris praestet quam alter meretur; quare cum superbia, et adulatio amoris ordinem invertant, atque ex mendacio procedant, naturaliter eadem interdici judicandum est.

Ex his omnibus apparet, multiplici prorsus ratione laedi a nobis homines posse, *verbis* scilicet quae vel calumniam, vel contumeliam contineant, *gestibus*, ex quibus aliorum irrisio procedat, *factis* quae vel corpus, vel bona aliorum externa laedant; *cogitatione* demum, quae etsi aliis non innotescat, intrinsecam tamen mali naturam induit, ac proinde rationali amori, legique adversatur.

§. II.

De injuriis reparandis.

Inutile prorsus esset naturalem legem laesiones omnino prohibuisse, nisi ad reparanda quae ex iisdem procedunt damna naturaliter cogeremur. Sane rationalis amor, quo caeteri sunt a nobis prosequendi, cujus vi quod in nobis volumus, in aliis quoque debemus exoptare, damni reparandi obligationem confirmat. Nos enim pacem deperditam, et amissa bona recuperare, et si quid accepimus detrimenti nobis rependi contendimus; cur ergo eadem in aliis restauranda non erunt, praesertim si in ea mala alii nostra culpa inciderint? Amoris insuper lex est ut ille quem diligimus non laedatur, vel offensio inlata illi reparetur.

In damni autem reparatione ea sunt praestanda quae leges postulant, quaeque detrimento inlato respondeant. Non semper autem damnorum quantitas aestimari potest; si enim de amissis rebus sermo sit, earnmdem pretium cognosci utique potest; verum si de damnis agatur quae vel corpus vel animam respiciunt nihil certi statui potest. Itaque in primo casu ea omnia a laedente nobis reddi debent, quae sua culpa amisimus, ac fructus ipsi compensari qui

exinde percipi potuissent, in altero autem cum ejus generis laesiones satis reparari non possint damna instauranda eo modo erunt, qui melior et aptior videbitur. Quoniam vero in societate vivimus, legibusque hominum positivis subjicimur, satis non est illatum reparasse damnum, sed poenis quoque civilibus est satisfaciendum.

Ut autem quis ad illatum damnum reparandum cogi possit, sedulo inquirendum est, utrum per se, vel per alios illud intulerit an solus fuerit vel in eodem inferendo habuerit socios, an principalis fuerit caussa, vel accessoria, an tandem aequalem cum caeteris culpam habeat; in postrema enim hypothesi omnes aequali ratione ad reparandum damnum obligantur; magis autem principalis tenetur caussa, magis immediata sive per se, sive per alios egerit.

Reparanda contra nullimode sunt quae fortuito, vel nulla nostra culpa alios laeserint; haec enim nullimode possunt imputari, eaque damna absque ulla compensationis spe sunt omnino ferenda.

ART. II.

De officiis erga alios imperfectis.

Officia quae aliis debemus ita partiti sumus ut inter ea etiam imperfecta locum haberent. Haec autem aut *humanitatis* sunt, aut *beneficientiae*. Jam vero cum homines pari natura progenerentur, iisdemque insitis juribus pari imbecillitate indigeant, comunemque promovere utilitatem teneantur, illa certe aliis reddenda sunt, quae si praestentur nullum nobis damnum afferunt, maxime cum nemo ea sibi vellet denegari quae ab alio nulla ejusdem jactura suppeditari possunt. Repugnat ergo naturali amori alios cum possimus ope et consilio non juvare, errantem in viam non revocare, sitienti potum, algenti ignem denegare. Inhumanum quoque est, et crudelitatem sapit, ea quae nobis supervacanea sunt, aut quae caeterum essent peritura aliis non praebere. Quae omnia cum ex amore proficiscantur, nemo autem caeteros magis quam se ipsum diligere teneatur, et in officiorum comparatione, dummodo justitiae regulae non laedantur, officia erga alios sint nostris posthabenda, si in recensitis muneribus explendis, aliquod nobis damnum immineat, absque ulla criminis labe possunt denegari; ma-

ximae tamen virtutis indicium esset, alterius vitam ac commoda, nostrae vitae et utilitati anteponere, ad quod tamen nulla lege naturali tenemur, nisi forte de graviori alterius malo, vel de Patriae salute sermo sit. Itaque in bello justo cum ipsa humanitatis officia hostem ad nos laedendos reddant aptiorem, ab iisdem praestandis possumus abstinere; haec enim agendi ratio in illo adjuncto instar armorum est cujus vi adversus hostem nos ipsos defendimus.

Cum vero non semper opem omnibus ferre possimus, quidam in eorumdem distributioue servandus est ordo, qui naturali juri non adversetur. Itaque ii caeteris praeferendi erunt, qui graviori urgentur necessitate; quod si omnes aequali premantur angustia, consanguinei affinibus, hi, cives, amici, probi sunt extraneis, alienigenis, inimicis, iniquis praeferendi.

Veri nominis *beneficium* aut opera nostra est, aut largitio, quae alteri prodest, quaeque animo juvandi praestetur; si enim non ex amore, et charitate, sed vel superbia, vel ut laedamus, vel ob nostras privatas utilitates tribuantur, vel aucupia sunt, vel stultae nostrarum rerum professiones. Hinc suspectae in rebus publicis largitiones erant, quae ostracismo Athenis, exilio Romae puniebantur. Necessarium deinde est, ut beneficia iisdem dignis tribuantur; quae enim iis praestantur, qui beneficio ad vi-

tam mollem, inertem, flagitiosam sunt abusuri, maleficia sunt. Alterius tandem conditioni, indigentiae, et necessitati debent esse consentanea. Itaque siquis petenti consilium panem offerat, vel famelico cum praesto cibus non est det nummum, cum possit panem praebere, videtur potius illudere, quam beneficium conferre.

Verum inter beneficia ea sunt praecellentiora, quae totam nationem, aut magnam ejus partem complectuntur. Unde ea majora sunt, quae ex industria praestantur, quam quae largitione. Rudem igitur populum artes docere, in pietate et justitia excolere, hostes aut vi, aut consilio depellere, pacem, ac mutuam tranquillitatem conciliare beneficia sunt praestantiora.

Sunt insuper alii beneficiorum gradus. Primus est cum id alteri tribuimus, quod eum quidem juvat, nobis vero parvo est incommodo, vel detrimento; alter si alterum juvet nobis vero grave sit, ut opibus prodesse; tertius si nostra vita alteri succurramus. Primum natura imperat; reliqua liberae virtutis sunt, quae, si praestentur, ingentis sunt meriti, et gloria nominis divinaque beatitudine compensantur.

Haec omnia inter Christianos eleemosynae nomine veniunt; namque hujusmodi officia ex alterius commiseratione procedunt. Quare eleemosyna non unum aut alterum beneficientiae actum complectitur, sed omnes eos, quibus alios ju-

vamus, unde eam Patres tantopere commendarunt, tantaeque virtutis esse scripserunt, ut ea sola, peccata redimi divina freti auctoritate rectissime sint arbitrati. Porro in libris Evangelicis saepe eleemosyna pro sola in pauperes largitione sumitur; quare juris naturae aequitati servandae praeceptum est, ut superflua elargiamur in eos, qui indigent, ne ea nobis tenentibus, aliis eodem jure pollentibus necessaria deficiant.

Beneficium in eo, qui accipit, gratum animum in benefactorem progignere debet, quod tripliciter praestari debet. Primum, ut beneficii accepti perpetuo memores simus: deinde, ut quantum possumus beneficium beneficio rependamus; postremo, ut si nequeamus rependere, gratiarum saltem actione, amicitia, obsequio, reminiscentia retribuamus.

Cum nihil sit grato animo praecellentius, nihil est odiosius, nec iniquius ingrato animo; feram namque naturam praesefert, ac societatis vincula dissolvit. Itaque rectissime Seneca *de Beneficiis* L. 3 c. 1 ingratum definit :- ingra-
„ tus est, qui beneficium se accepisse negat: in-
„ gratus, qui dissimulat; ingratus, qui non red-
„ dit; ingratissimus omnium, qui obliviscitur.-
At odium pro beneficio reddere, quod quidam humanitatem exuti facere solent, non solum ingrati est animi, verum adeo truculenti, ut feras

ipsas exsuperet, quae mansuetae in eos sunt, a quibus beneficia acceperunt.

De officiis hypotheticis nunc esset agendum, quae magna ex parte ad jus gentium referuntur; cum tamen multa etiam sint, quae ex vario societatum genere proficiscuntur, illis idcirco praetermissis, de his tantummodo disseremus.

ART. III.

De variis hominum officiis ad diversas eorumdem societates pertinentibus.

Duo sunt societatum genera, quibus homines inter se devinciuntur, *domestica* nempe vel *civilis*. Illa etiam in statu naturae locum ex parte habebat; hanc autem in praesenti rerum ordine homines servant. Illa inter conjuges, parentes, et liberos, heros et servos; haec autem inter omnia imperii, sive regni, sive reipublicae membra est agnoscenda, quae cum ex hominum voluntate fuerit invecta, juris Gentium est de eadem disserere. Quare cum praeter illa, quae universam generis humani societatem respiciunt, peculiaria quaedam officia sint, quae modo recensitas hominum societates spectant, de ipsis idcirco disserendum est, iis tamen exceptis, quae ad civilem, seu compositam societatem referuntur.

§. I.

De conjugali societate, et mutuis utriusque conjugis officiis.

Conjugalis societas, sive *conjugium* est arctissima maris, ac foeminae societas ad sobolem procreandam, et educandam mutuo consensu inita.

Simplicior est ac prima inter hominum societates; ex duobus enim diversi sexus hominibus tantummodo coalescit; eaque caeteras societates antiquitate antecellit; ex eadem enim caeteras societates prodiisse indubium est.

Finis autem conjugii triplex est; prolis nempe gignendae, et educandae caussa nuptiae ineuntur; mutui deinde praesidii, et vitae socialis amore; postremo ad vagam libidinem, ac reliquas ejus generis foeditates coercendas. Quare in hos fines conjuges inter se pacto quodam conveniunt, sive expresso, sive tacito, ipso nempe facto nuptiarum, quod secundum naturam officia inter conjuges servanda poscit, commendatque.

Hujusmodi ergo societas reciproco, liberoque consensu debet iniri, qui, si futuras nuptias, non praesentes respiciat, *sponsalia* eodem conficiuntur. Satis igitur constat, eos, qui propter aetatem, ut pueri, vel corruptionem rationis, ut amentes, consentire nequeunt, ne nuptias

quidem aut sponsalia contrahere posse. Omnes autem homines naturale, et ingenitum jus nuptiarum habere, nisi forte quis sponte sua se hoc jure spoliaverit, ut majores Clerici et Monachi, nemo dubitat.

Insita namque est omnibus gignendi proprietas, et nisi Deus hoc jus hominibus voluisset tribuere, quod belluis ipsis quodammodo tribuit nec marem et foeminam creasset, neque eo quod habent corpore eosdem instruxisset, nec amorem, nec liberorum indidisset appetitum. Itaque maximo in errore versabantur Manichaei, qui nuptias velut a Deo malo excogitatas execrabantur.

Quaeri hoc loci posset, utrum omnes homines non solum possint, sed etiam naturae lege ad nuptias contrahendas obligentur. Qua de re sic judicandum. Homines in mutuum subsidium a natura progigni nemo negat; cum igitur humanum genus intra paucas personas subsisteret, singulorum profecto jus exquirebat, ut eidem generi prolatando intenderent. Verum in immensum aucto, nulla est talis necessitas; nullius ergo jus ferit, qui abstinet, suoque juri quilibet renunciare potest, dummodo nihil damni alteri inferatur.

Huc accedit, quod plures sint, qui commode nuptias contrahere nequeunt, quique contrahendo non solum nullam sibi, aut humano generi utilitatem afferrent, verum magnum de-

trimentum facerent, veluti quidam nulla arte instructi, aut imbecilli corpore, qui liberos aut alere, aut educare nequirent; plures, qui caelibatum colentes utiliorem operam societati navant, qui ab omni familiae cura abstracti Rempublicam pro uxore, et liberis complectuntur. Adaucto igitur hominum genere, jus contrahendi nuptias nemini sine injuria potest auferri, aut ad eodem utendum cogi.

Quod si consentire nequeant in generationem, jure ne a nuptiis excluduntur? Apud Romanos lege Papia vetabatur foeminis ultra quinquagesimum annum provectis nuptias inire, quia exploratum est ultra illam aetatem vix quamque parere. Quod ad viros pertinet, experientia constat ad decrepitam usque aetatem ad easdem contrahendas habiles esse. Dum vero nuptiae mutui quoque praesidii caussa ineantur, factum est, ut lex illa Romanorum exoleverit, utpote quae juri naturali contraria. Caeterum nonnulli, qui manifestam uxoribus injuriam inferrent, prohibentur a nuptiis, nonnulli ab initis separantur.

Alterum, quod quaeri communiter solet, est, utrum nuptiae suapte natura indissolubiles sint. Cum vero nuptiae pacta sint; pactum autem nullum indissolubile sit; nullam apud gentem, nisi Christianos id juris agnitum fuit. Non est autem putandum, naturam, etsi nuptiarum indissolubilitatem absolute non praescribat, eam-

dem quodammodo conjugali societati majorem perfectionem afferre ex ejusdem finibus clarissime non ostendere. Cum enim nuptiae contrahantur, et procreationis, et educationis, vel mutui praesidii caussa, earum dissolutio ejusmodi fines subvertit; homines enim, paulatim vagae, et incertae libidini assuefierent, quae et cum propagatione generis humani, et cum recta liberorum educatione, vitaeque honesta societate pugnant.

Quae nuptias, quominus rite contrahantur, impediunt, aut contractas dissolvunt, *impedimenta* matrimonium *dirimentia* appellantur, quae ex jure naturae sunt: primo, si conjuges inepti sint ad gignendum, deinde si inter se determinato quodam consanguinitatis gradu conjuncti, ut inferius ostendemus; si denique consensui praestando impares sint. Praeter haec alia esse possunt impedimenta, quae vel Civiles Matrimonii effectus impediant, vel si a Lege Ecclesiastica constituantur nuptias prorsus irritent. Cum enim ad Sacramenti majestatem divina lege invectus sit simplex hic naturalis contractus, novis etiam subjicitur regulis, deque eo tamquam Sacramenti materia ad Ecclesiasticam auctoritatem pertinet judicare.

Ex his omnibus plura conjici necessario debent, quae societatem conjugalem spectant. Praeceptam namque vidimus sobolis propagationem,

quae in lucem edita sine ope parentum esset illico peritura; ex eadem ergo obligatio parentum erga natos eos curandi, et alendi donec ad aetatem pervenerint, qua possint vitam sustentare sponte fluit, et altera in altera includitur. Quod ratio suadet, natura confirmat, quae ad curanda et alenda natorum corpora vi quadam interna parentes impellit. Quum insuper educatio sobolis sit quoque praecepta, et utriusque parentis ope soboles indigeat, uterque ad praestandam opem obligatur. Quare vagos concubitus naturaliter prohiberi patet, qui patrem incertum reddentes praecepta fraudant sobolem educatione.

Ergo *Polyandia*, sive promiscui foeminarum cum viris concubitus, cujus generis belluinas nuptias in usu olim fuisse docet Puffendorfius, lege naturae improbantur, maxime cum constet istiusmodi foeminas pluribus comunes viris difficile posse concipere. Quaeri tamen posset, an unius foeminae tantum cum viro societatem natura imperet. Communi Philosophorum sensui videtur, *Polygamiam* non esse absoluto juri naturali contrariam; demonstrari enim non potest, ea societate constituta nec sobolem procreari, nec honeste educari posse.

Polygamiam igitur naturalis ratio non vetat, eo quod matrimonii objecto non adversetur; prohibitio igitur hypothetica est, non absoluta. Si ad haec animum intendissent Juris interpretes mi-

nor fortasse apud eos fuisset de Polygamia controversia ; facile enim novisse poterant plurima esse, quae illicita sunt, quod nempe, ut plurimum humano generi detrimentum afferant, in quibusdam autem et loci et temporis opportunitatibus licita fieri, cum nempe id publica utilitas requirere videtur.

Monogamiam tamen praeferendam ipsa jubet naturalis ratio; ad eam enim natura impellit. Itaque praeceptum Evangelicum de Monogamia inter divinae Religionis sectatores ipsius legis naturalis est interpretatio, et perfectio. Concubitus ergo cum extranea persona, qui *Adulterium* dicitur, et jus conjugale laedit, et a lege naturali prohibetur, quae nullam aliam conjunctionem praeter conjugalem admittit.

Eruitur exinde et *stupri* et *fornicationis* turpitudo sive enim liberam, et honestam foeminam, sive jam corruptam, et corpore quaestum facientem compresseris explendae tantum libidinis gratia, jam naturae violas legem, quae ad hominis procreationem, non ad abjectam, sordidamque voluptatem explendam te impellit. Exinde etiam patet, *castitatem* conjugalem, et *pudicitiam* lege naturae praeceptam. Illam servat, qui a data in matrimonio fide, nunquam deflexit, hanc autem, qui ab illicitis conjunctionibus abstinuit, nec corpus alienae libidini unquam mutuavit.

Hactenus de conjugalis societatis natura, et proprietatibus, nunc ad mutua conjugum officia transeamus. Educationem prolis objectum esse ejusdem societatis ostendimus: haec sine impensis, et sollicitudine non perficitur, ergo uterque conjux, cui id onus incumbit, et bona, et opera in commune conferat opus est, nisi aliter inter eos convenerit.

Cum autem alterius alter conjux in sobolis educatione poscat opem, et conjuret amice, sequitur, ut alter alterius felicitatem, quantum in se est debeat promovere. Si enim hoc vinculo obligationis omnes homines obstringuntur, quanto magis conjuges obstringantur oportet, quorum res ex societatis ipsius natura invicem communicantur? Amor igitur conjugalis lege naturae praecipitur, sine quo nec societatis finis obtineri, nec tranquillam agere vitam conjuges possunt. Utinam haec bene perpenderent, qui temere, et imprudenter sacram hanc ineunt societatem!

Si hominum officia ab ipsa eorumdem natura derivanda, quis inficiabitur, naturam ipsam jussisse ut matres filios lacte suo nutriant, eosque consueti, et cogniti sanguinis alimento non privent? Idem enim sanguis est in uberibus, qui fuit in utero, quique mirabili solertis naturae artificio in supernas se profert partes, et ad fovenda vitae rudimenta praesto est, et recens na-

tis notum, et familiarem victum praebet. Attamen naturae vocibus ut plurimum aures occluduntur, maternus amor exuitur, partus abjiciuntur, et impurissimae foeminae fontem illum humani generis educatorem arefacere non sine periculo corrupti, aversique lactis laborant, quasi illum non liberorum alendorum, sed ornandi pectoris gratia natura foeminis dederit.

Quamvis autem arctissimum sit inter conjuges amoris vinculum, alter tamen ab altero differt, neque actiones alterius, alteri jure possunt imputari. Quod si uxor aes alienum educationis caussa contraxerit, idem ab altero solvendum est, quippe qui ad alendos liberos obstrictus, nisi solveret, ditior fieret cum aliena jactura, quod est contra legem.

Et quamvis conjugium societas libera sit, eam tamen non solvendam si ejusdem objecto damnum inferatur naturalis lex jubet. Contra eam igitur agerent, qui liberis non educatis societatem dissolverent. Si tamen nulla parentum ope liberi amplius indigeant, aut ii nati non fuerint, vel omnes emortui, si libertas naturalis tantum inspiciatur, a pacto societatis mutuo dissensu recedere posse conjuges nuper ostendimus. Quia vero in mutuis promissionibus, qui a pacto recedit, alterum ab obligatione liberat, adulterio, desertione, pertinaci conjugalis officii denegatione, et irreconciliabili sociorum odio su-

perveniente, conjugium dissolvitur, lege tamen Evangelica indissolubile est, et sola morte dirimendum. Soluto autem matrimonio, licet viro illico ad secunda vota convolare; foeminae non item, nisi constare possit, se uterum ex priore non gerere, ne prolis educatio Patris incertitudine aliquid patiatur.

Anceps quaestio est, et in utramque partem tam a veteribus, quam a recentioribus Philosophis judicata, an scilicet matrimonia inter consanguineos sint absoluto juri naturae contraria. Rationum momentis, quae ultro, citroque afferuntur, ad examen revocatis, videtur, matrimonia inter parentes, vel eos, qui parentum loco sunt, et filios, et descendentes juri naturali absoluto adversari; inter consanguineos vero collaterales, qui in eadem familia sunt hypothetico.

Quod ad primum attinet, insita a natura ipsa videtur aversatio, et fuga a quadam commixtione inter parentes, et natos, quae omnem societatis, et educationis institutionem antecedat; cum animi enim affectiones, quas ipsa natura erga filios parentibus inseruit, immane differant ab iis, quas amoris impetus excitat, mutua officia omnia inter eos confundantur, et naturales omnes affectiones extinguantur oportet, ut novis affectibus locus fiat, quod quidem improbare naturam patet; inde non immerito istiusmodi nuptiae inter

gentes omnes detestatae, easque Juris Consulti Romani *incestum* juris gentium esse statuerunt.

Quod autem ad collaterales attinet, cum ex natura conjugalis societatis, et educationis necessitate fiat, ut saltem soror, et frater in eadem vivant familia, naturali rationi consentaneum esse videtur, ut nuptiae inter eos nequeant consistere; decet enim, ut quae cohabitatio necessaria quodammodo est, eadem pura et sancta esse debeat, quod sane fieri ut plurimum non posset, si inter eos nuptiae possent iniri. Has autem aversari juri saltem externo naturae hypothetico patet; in collisione enim officiorum, et si necessitas quasi ab ipso Deo objiciatur, quaelibet honesta ratio est expediendae salutis. Eo pacto intelligitur, Adami posteros per incestum non fuisse propagatos.

§. II.

De Societate Paterna, mutuisque Parentum et liberorum officiis.

Ex ipsa conjugalis societatis natura eruitur sobolis educandae obligatio; cum autem haec, si jus eidem non respondeat, nequeat haberi, patet liberis fuisse jus a natura concessum, ut a Parentibus educentur. Educare autem nihil aliud significat, quam labore, et industria liberos ad

eum statum redigere, quo possint vitam propriis viribus sustentare, et suos actus ad legis normam componere. Cum vero primum naturae legis praeceptum sit ut nostram, et caeterorum felicitatem quaeramus, in eo igitur educationis summa sita esse debet, ut Parentes omnem dent operam, ut liberis viam ad felicitatem aperiant, quod sine perfectione animi, corporis, et status externi nunquam posset haberi.

Cui natura obligationem imposuit, ei omnia tribuere debuit media, quae ad eam adimplendam sunt necessaria; parentes ergo, qui ad promovendam liberorum perfectionem obligantur, jus quoque habeant oportet, actiones liberas filiorum ad finem illum dirigendi, donec ipsi per se quid agendum, vel non agendum sit probe cognoscant. Hinc imperii paterni origo, hinc liberorum obligatio ad parendum. Imperium igitur patris felicitatem liberorum respicere debet. Jus ergo, quod apud nonnullas gentes fuit, filios recens natos exponere, vel necare, vel eos quasi mancipia habere, barbarum fuit, et naturali aequitati omnino contrarium.

Cum vero societas conjugalis natura sit aequalis, imperium in filios utrique conjugi commune est, nisi aliter pactis, vel legibus cautum sit. Imperii autem objectum utilitas parentium, ergo si quando etiam doloris sensu filii ab inobedientia, et vitiis retrahendi, poenae emendatrices, et leves sint oportet, non crudeles, non cor-

pori, aut valetudini filiorum damnum inferentes; parentum enim officium esse demonstravimus, ut liberorum felicitatem quantum in iis est promoveant, ad quam consequendam maximi bona corporis valetudo facienda: uno verbo nimia saevitia, et indulgentia vitanda, utraque enim filios corrumpit.

Si amor et benevolentia erga omnes naturali lege praecipitur, quanto magis liberorum amor erga parentes, cum quibus arctissimis sanguinis et beneficiorum vinculis sunt devincti? Quamvis enim aliquando negligentiores Parentes fuerint in educandis liberis; maxima tamen in ipsis vitae primordiis collata beneficia sunt, quibus gratiae nunquam satis rependendae.

Itaque multoties filiorum impietas de qua tot parentum querelae, ipsorum parentum culpae tribuenda, quorum negligentia ab adultis liberis non sine animi dolore detegitur. Quisquis magni fieri vult, magni reapse sit oportet: odium vero homines compescere possunt, amorem excitare etiam volentes non possunt; quippe a rerum externarum statu erga nos pendet. Attamen bene morati filii vim quodammodo sibimet inferant aequum est, nec unquam Parentibus debitam excutiant reverentiam licet vel rem familiarem negligentius administraverint, vel asperius quam par erat cum ipsis egerint; nunquam enim filialis pietas exuenda, tum quod maxima sunt etiam a

negligentibus parentibus beneficia in filios collata, tum quod universae hominum societatis interest, ut felicibus auspiciis soboles propagentur, quae efficiant ut juvet genuisse.

Si eo quod innuimus amoris, et benevolentiae vinculo, filii erga parentes conjunguntur, sequitur, parentes caeteris omnibus praeferendos in praestatione officiorum humanitatis; iniquissimum enim est parentes egere, cum filius sit in facultatibus. Dubitari tamen posset an in officiorum collisione, Parentes etiam uxori, et filiis praeferendi sint, quod nos in genere negandum esse arbitramur; in collisione enim felicitas propria est in genere alienae praeferenda, res potius propriae, quam alienae servandae; atqui felicitas propria in genere magis a conservatione familiae suae, quam alienae pendet; in collisione igitur, familia propria, paternae familiae est praeferenda. Haec natura ipsa confirmat; homines enim ad amorem filiorum caeco impetu feruntur; ad parentum amorem ratione, non instinctu. Et re quidem vera qui novam familiam instituit, naturali quodam facto promittit, se liberos et uxorem caeteris omnibus in officiis praestandis praelaturum; familiam enim Patris deserit, neque amplius eam habere vult tamquam suam. Diximus *in genere* id aequum esse; nam in specie fieri potest, ut aliquando Pater, si non filiis, saltem uxori sit praeferendus. Huc accedit,

quod cum Juris regula sit, ut id aequum, et justum esse dicatur, quod Patriae, quod universae societati in collisione, majus affert emolumentum, fieri potest, ut in emergente necessitate, et officiorum pugna, Patrem non tantum uxori, sed et filiis ipsis praeferre, aliquando maximum sit virtutis exemplum.

Cum Patris officium sit, ea omnia agere, sine quibus filii sui educationem, et perfectionem nequit obtinere, naturaliter eum alteri in adoptionem dare non prohibetur, si id educationi, et fortunae filii sit utile, iis legibus quas contrahentes statuerint, quae tamen ultra pubertatem filii non durant; patriam enim potestatem in alium transferre non licet ultra id tempus quod est a naturali lege definitum. Cum autem adoptio actus moralis sit, nemo jure naturali filium, filiamve adoptare prohibetur, dummodo is sit, qui adoptivi filii assumptam educationem perficere possit.

Quamvis obligatio Parentibus imposita sit ut propriis impensis alant liberos; si tamen nonnulla, quae a parentibus praestanda essent, ipsi per se consequi possint, obligatio cessat saltem pro ea parte qua se liberi exhibere possunt praesertim si necessitas id postulet, nec ullum educationi detrimentum afferatur. Inde jus parentum in opera liberorum. Quare bona quae filio sub patris potestate hactenus constituto fortasse aliun-

de obvenerunt, naturaliter sunt in usufructu Patris, quatenus tamen iis utitur ad educationis exigentiam; sunt autem in dominio filiorum, atque adeo a parentibus administrari, non alienari possunt, nisi forte in liberorum utilitatem vergat, quae quidem una Paternae potestati fines praescribit.

Jus autem paternum in bona filiorum, naturaliter cessat simul ac ad eam aetatem pervenerint, qua possint et ea recte administrare, et fructus colligere, eosque ad usum vitae juxta naturale praescriptum convertere. Verum huic potestati certos fines natura non statuit, atque adeo in civitate ab arbitrio legumlatorum pendent. Non tamen ab obsequio, reverentia, ceterisque naturalibus erga parentes officiis liberantur filii sui juris facti; ea enim immobilia sunt et perpetua, quandoquidem maximis beneficiis nulla par gratia nisi perpetua.

§. III.

De Societate herili, et officiis quae ex eadem oriuntur.

Cum imperium oriatur ex Societate, societas ex naturali, ac tacito consensu, patet, *servitutem*, sive alieno imperio subjectionem, atque obliga-

tionem parendi, ex consensu, originem habere; pactum autem hujusmodi in ea hypothesi licitum est, nempe cum quis eo redigitur ut nulla alia ratione sibi ad vitam necessaria comparare possit, nisi operas suas alteri vendat, atque imperium in eas sive perpetuum, sive ad tempus in alterum transferat.

Servitus apud Romanos a captivitate bellica derivata, quod nempe arbitrarentur, in bello captos et vendi, et occidi posse, et multo magis tamquam jumenta perfectae servituti, et dominio subigi. Inde inhumana dominorum in servos jura. Ejusmodi sententiae absurditatem suo loco demonstrabimus. Interim vero illud ex natura servitutis consequitur, quod nempe jus domini in servum, et servi obligationes erga dominum voluntas paciscentium dimetiatur, unde nulla esse potest servitus justa, nisi voluntaria.

A servitute differt famulatus, est enim operarum de die in diem locatio, sive permutatio diurnae operae cum mercede, et alimentis.

Quae sint mutua domini et servi jura, et obligationes ipsa servitutis indoles ostendit. Primo enim eruitur, jus in operas servi perfectum esse, quod nempe ex pacto quodam oriatur, unde vim aliquam in servum negligentem licitam esse; secus enim jus domini in operas servi nullum esset, quod est absurdum.

Illud insuper praeceptum est jure naturae,

ut quis jus suum exequatur cum minimo aliorum detrimento, ergo vis in servum licita quae necessaria, et quae ab humanitate non deflectat. Jus igitur necandi servum illicitum, tum quod vitae conservationi contrarium, tum quod jus omne singulare ex consensu sit, nemo alteri jus in vitam suam transferre potest, quod ipse non habet.

Cum tamen jus quaesitum alienare fas sit, operas sibi debitas alteri vendere non illicitum, nisi aliter in servitutis pacto sit cautum, dummodo emptor in locum domini, tam juris, quam obligationis habita ratione succedat.

Debitorum etiam servitus invita qudem, attamen voluntaria; qui enim aes alienum contraxit, si solvendo non sit, tacite consentit, rebus suis deficientibus, operas proprias creditori se traditurum, si pluris valeant, quam alimenta.

Qui servitutem perfectam contraxit, domino acquirit quidquid operarum fructus haberi potest: sua tamen facit ea omnia, quae aliunde illi obvenerunt, nil enim aliud nisi operas proprias alienavit.

Cum tandem servitus contractus sit consensualis, et in mutua praestatione consistat, si alter contrahentium officio suo minime satisfaciat, jus dat alteri, ut a pacto recedat. Si igitur dominus in servum sine causa saeviat, aut alimenta necessaria non praestet servo potestas facta est a

naturali lege, ut eo pacto quo potest, et fuga etiam, vitae, et saluti suae consulat.

Hactenus in hypothesi licitae servitutis loquuti sumus; ut autem rem tanti momenti, praesertim cum nondum apud omnes populos verae humanitatis mores inoleverint, diligenter absolvamus, servitutis ideam clarius explicemus, et quaestiones, quae circa eamdem agitari possunt attingamus.

Duplicis generis servitus distingui solet, *perfecta* scilicet, et *imperfecta*. Haec precaria, seu mercenaria dicitur, illa obnoxia, et perpetua. Imperfecta servitus non differt a libera operarum locatione; perfecta autem in personae quoque deditione consistit.

Hac facta distinctione facili ratione dissolvitur quaestio, utrum cum naturae lege servitus pugnet. Si enim de imperfecta sermo sit, evidens est hanc eidem non contradicere; cuilibet enim a natura permissum est jura permutare, adeoque operas locare, quo sibi ea quibus indiget comparare possit. Tota igitur quaestio erit de servitute perfecta, quae duas partes complectitur, in quarum prima utrum se in servum tradere; in altera vero utrum liceat servos facere, aut accipere inquiritur.

Ut primae quaestionis parti satisfaciamus, in nonnullis adjunctis, voluntariam servitutem subire licitum esse demonstramus. Et primo qui-

dem si quis in eo paupertatis statu sit, ut omni vitae praesidio destitutus, nullo alio modo vitam servare possit; iis insuper, qui in bello capiuntur, ut mortem vitent. Illos denique inutile est commemorare, qui adeo hebetes ingenio sunt, ut semetipsos regere nequeant, nisi serviles operas praestent; si qui enim hujus generis sunt, hoc potius ex proprio facto, quam ex natura procedit.

In recensitis autem conditionibus licitam esse voluntariam servitutem ex eo luculenter eruitur, quod cuique naturaliter liceat minora jura alienare, ut potiora servare possit. Nullum autem a natura jus, vita praestantius; huic enim caetera inserviunt.

Alterum autem in perfectam servitutem extra recensitos casus accipere, non solum humanitatis, verum et justitiae jura interdicunt. Leges igitur Romanorum, aliorumque hanc servitutem probantes naturae omnino repugnant. Quare Christiana religio, quae homines ad primaevam jurium aequalitatem, quantum pro civili eorumdem conditione licebat, revocare voluit, omnem obnoxiam, et perfectam servitutem, sapientissime proscripsit.

ART. IV.

De obligationibus et juribus quae ex dominio ortum ducunt.

Omnibus aeque hominibus imposita est obligatio ut vitam servent, eamque quantum fieri potest felicem agant: omnibus ergo idem jus ad ea quae huic officio satisfaciendo sunt necessaria; adeoque idem omnibus jus in res creatas quibus ad vitam servandam, et feliciter ducendam indigent. Itaque rerum communio in statu naturali, et promiscuus sit usus oportet. Haec quidem recte procedunt si in magna hominum paucitate, et simplicitate vitae quae a terra sponte feruntur omnibus sufficiant, sed aucto hominum numero, si incerta fiat vitae servandae ratio, atque utilium rerum inopia metuenda, jam duo officia inter se colliduntur, quorum altero ad servandas communionis leges jubemur, altero ut nobis primum prae caeteris consulamus. Si igitur industria, et labore opus sit ut vitam servemus, industriae fructus nobis proprios constituat natura oportet quae cum nostri conservationem jubeat, ea omnia concedat necesse est, sine quibus vitam nostram servare non possemus; atqui si caeteri homines industriae nostrae fructus, uti res communes occupare possent, vitae nostrae ser-

vandae officium nequiremus explere; jus ergo caeteros ab iisdem excludendi nobis jure naturae concessum est.

En dominii inter homines origo: qui primus enim vel naturales fructus adlegit, seposuitque, ut futurae egestati consuleret, vel eos in dissitis, et longinquis regionibus conquisitos in in patriam importavit, vel terram aratro foecundiorem reddidit, et labori suo respondere quasi invitam coegit, is sibi jus quoddam singulare in fructus industriae suae comparavit. Natura igitur jubente dominia introducta fuisse liquet, quin necesse sit huc transferre conventiones, et pacta, quasi non possit ex ipsa hominis natura dominium explicari, ut nonnulli perperam sunt arbitrati.

Itaque cum ut vitae necessitatibus consulamus concessum sit jus hoc singulare, sequitur, nostrum esse judicium de fructuum copia, quibus indigemus. Si modum quis excedat in fructibus colligendis, vel iisdem abutatur, internam violat obligationem, nullum tamen caeteris jus est eum cogendi, ut diverse agat, cum nemo judex esse possit alienae indigentiae sine naturalis aequitatis laesione.

Jus igitur hoc singulare quod *dominium* dicitur, definiri poterit: jus perfectum excludendi caeteros ab usu rerum, iisque arbitrio proprio utendi. Si quis ergo facto, non verbis manife-

stat, in naturali statu se hac vel illa re mobili aut immobili indigere naturales obligationes ad explendas, ut eam sibi habeat caeteri patiantur oportet, et ab ejusdem usu deinceps abstineant. Istiusmodi factum *occupationem* vocamus. Porro autem ex ipsa occupationis definitione liquet, tam mobilia, quam immobilia bona occupari posse, nec actualem apprehensionem necessariam esse ad occupationem rei mobilis constituendam, nec illico efficere, ut res aliqua amplius in communione non sit. Diximus *factis* non verbis voluntatem declarandam esse, secus enim dominii fundamentum deesset industria nempe et labor adquirentis.

Patet ex dictis quod si alicui res sua inutilis facta sit, ei facultas est, illam primaevo naturae statui restituere, ita ut denuo occupantis fiat propria. Plures alii a J. C. dominii acquirendi modi solent afferri; verum cum non in naturali statu, sed in civili conditione tantum locum habeant, ab iisdem enumerandis abstinemus, et ad obligationes et jura quae ex dominio quomodolibet acquisito oriuntur, quaeque a naturali lege derivant sermonem convertamus.

Ex consilio Legis naturalis qua permittente, dominia privata sunt introducta, et ex universali hominum officio, ut quisque alienam felicitatem promoveat, sequitur ab omnibus dandam esse operam, ut res nostrae in nostram potesta-

tem veniant, quarum amissio externum statum redderet imperfectiorem. Hinc alienae rei restitutio naturaliter praecepta. Itaque si dolo, vel culpa nostra surripiamus vel ipsam rem, vel ejus usum, aut possessionem, vel liberum dominii exercitium quacumque ratione impediamus, vel actus uni domino competentes nobis adrogemus invito domino, et eum laedimus, et ad damni reparationem obligamur. Quisquis ergo rem alienam noverit se possidere, undecumque eam sibi comparaverit, ut eam domino restituat, naturaliter obligatur, cui obligationi jus perfectum in domino respondet, eam per vim etiam vindicandi, si possessor restitutionem detrectet. Non prius tamen dominus vim possessori potest inferre, quam manifeste docuerit dominium suum, quo probato vis licita, et in statu naturali bellum.

At si res quam alter possidet vel corrupta est, vel periit omnino, quid juris erit domino in possessorem? Distinguendum est inter bonae, et malae fidei possessorem; primus enim nec casum, nec culpam praestare debet, quippe cum is sit, qui invincibiliter ignorat se rem alienam possidere; possessori autem malae fidei cum ipsa rei alienae non restitutio imputetur, ipsi etiam imputanda sunt omnia, quae ab ejus dolosa omissione ortum ducunt. Si igitur res apud eum fortuito pereat, quae apud dominum non periisset, casum praestabit, multoque magis culpam.

At si res aliena fructifera possidetur quid de fructibus tum extantibus, tum perceptis, consumptisque statuendum? In varias, et discrepantes sententias ut in ambiguis fieri solet scinduntur Juris interpretes; attamen bene statutis rerum principiis, facilem arbitramur praesentis controversiae solutionem. Itaque primo animadvertendum, introducta rerum industrialium proprietate, fieri non posse, ut quis a dominio, et possessione rerum suarum legitime excidat, nisi modo superius definito. Quare extra hunc casum quisquis rem alienam possidet, possessor est malae fidei, nisi ejus dominium ex domini voluntate aut expressa, aut saltem legitime praesumpta translatum sit. Itaque possessor bonae fidei, si de re immobili sermo sit esse non potest, nisi qui rem immobilem ab eo, quem invincibili ignorantia dominum esse putat accepit, nam quoad mobilia, fieri potest, ut ea amissa invenerit, bonaque fide possideat, donec dominus cui restituantur appareat.

Cum autem jam demonstratum sit, nemini invito, dominium eripiendum, ac naturam praecipere ut bona domino restituantur, evidens est, eum qui rem alienam, vel bona, vel mala fide possideat domino eam restituere debere una cum fructibus tam naturalibus, quam industrialibus, deductis tamen expensis pro ejusdem cultura. Quod si rei fructus a bonae fidei possessore con-

sumpti sint, distinguendum est an ab alio possessore quem dominum putabat habuerit, vel eam invenerit; in altero enim casu, quamvis imputari ei non possit, quod domino quem ignorabat rem non restituerit, attamen cum sciret, dominum detegi posse ad quem, et res et fructus pertinent, si eos consumpsit suo periculo factum est, fructuum jactura ipsi jure imputatur, adeoque domino restituendum quanti factus est locupletior. In primo autem casu extantes fructus restituat, non autem consumptos; cum enim actiones auctoribus sint imputandae, patet subtractionem fructuum domino factam non bonae fidei, sed primo doloso possessori tribuendam, qui caussa moralis fuit cur suae rei fructibus dominus caruerit; cui igitur damnum imputandum, ipsi damni reparandi imponitur obligatio. Cum igitur nihil juris habeat dominus in fructus a bonae fidei possessore consumptos, sequitur a domino rem suam vindicante restituendas impensas omnes possessori bonae fidei per quas ipsa res pluris facta est, quam erat tunc, cum ab ejus possessione aut fortuito, aut dolo, aut vi est exturbatus, quanto enim extimabilior restituitur, tanto cum possessoris jactura ditior fieret.

E contra cum malae fidei possessor, caussa ipsa moralis sit totius damni, quod domino ex rei suae privatione obvenit, ipsi imputanda sunt facta et omissa omnia quae a dolosa possessione ortum

ducunt. Quapropter et res ipsa restituenda, et fructus omnes tam naturales, quam industriales sive extantes, sive percepti, et consumpti, atque illi etiam, quos ob negligentiam non percepit, deductis tamen impensis pro cultura, et cura, iisque, quibus res aestimabilior facta est; si enim non deducantur, ditesceret dominus cum aliena jactura, quod est contra jam demonstrata. Ceterum si impensae sint utiles possessori, non domino, tollat quas potest possessor, dummodo deterior fundus non fiat. Si autem quod impensum est auferri nequit sine ipsius fundi jactura, possessor malae fidei dominium amittet, nec aliquid a domino pustulabit; innocens enim fundi dominus jacturam pateretur.

Ex iis quae hactenus demonstravimus, facile infertur quid juris sit circa res amissas, et naufragas, quae ita domino restituendae sunt, ut neque praemium inventionis peti possit, Ceterum diligenti examine quaerendus dominus est, earumque rerum nullo alio pacto potiri quis potest, nisi postquam domini inveniendi spes omnis evanuit; tunc autem naturali potius facto, quam jure nostrae fiunt.

Quae omnia ut clarius intelligantur possessionis naturam explicemus oportet. Itaque introducto per occupationem dominio, ad dominum fructuum perceptionem, vel usum rei suae exclusive pertinere manifeste patet. Haec igitur actua-

lis fructuum perceptio, vel usus rei suae, *possessio* dicitur, et *possessor* nuncupatur, qui re occupata fruebatur, vel nullo obstaculo intercedente frui poterat. Ex qua definitione plura deduci possunt quae tamquam legitima consectaria ex eadem oriuntur; primo nempe possessionem rem esse potius facti quam juris, et in potestate physica rebus suis utendi esse constitutam; possessionem deinde legitimam unius domini propriam esse, adeoque cum dominio ipso conjunctam; sed quamvis domini tantum sit propria, attamen ei vel vi, vel clam auferri posse, quod tamen non prohibet quominus ipsi integrum jus possidendi relinquatur; eos insuper omnes, qui aliqua re fruuntur, reipsa eam possidere, non tamen omnes jus eamdem possidendi habere.

Rerum dominio inter homines introducto nihil tam conveniens est naturali aequitati, quam jus dominii in alium transferendi, cum enim unicuique potestas sit de suis rebus statuere, statim ac declarat se in alium alicujus rei dominium transferre, dominium ipsum translatum est, acceptatio tamen ex altera parte necessaria est, ut dominium translatum dici possit; secus enim fieri posset, ut res ad primaevam communionem saepissime redirent contra domini voluntatem, quod est absurdum. Quod de rerum suarum translatione monuimus, de jurium quoque translatione intelligendum, quae cessione, vel renun-

ciatione perficitur, haec enim et a voluntate cedentis pendet, et confirmatur acceptatione, et traditum alteri perfecte jus dicitur, cum ejus exercendi libera facultas est.

ART. V.

De Testamentis.

Ex Dominii natura posse idem in alium transferri demonstravimus; quaeri autem etiam posset, utrum ita dominia liceat alienare, ut eorumdem translatio post mortem transferentis locum habeat, ac sit ejusdem voluntatis ultimae effectus.

Demonstrandum ergo est utrum *testamenta*, quibus familiarum felicitati, et sustentationi consulitur, jure naturae liceant, vel potius a solo humano positivo jure vim eadem accipiant. Itaque si ad analysim ea revocentur, quae de proprietatibus, et juribus quae ex iisdem oriuntur hactenus disputavimus, nulla oriri potest dubitatio, an liceat ex naturae lege Testamentum condere; ea enim est proprietatis essentia, ut bona quae ad privatum jus referuntur, non possint iterum in naturalem communionem redire, nisi legitimi possessoris, sive domini tacito, vel expresso consensu. Cum insuper jura possint in alium, etiam conditionate transferri, patet, nul-

lam naturae legem violare eum, qui ita rem propriam in alium transferret, ut translatio nonnisi post suam mortem acceptetur.

Neque huic infirmando argumento dicatur . nullum ex Testamento jus in haeredem transfundi, eo quod ad nutum conditoris revocabile sit; jus enim haeredis nullum quidem est, si de absolutis juribus sermo sit ; est tamen hypotheticum , cum fieri possit ut voluntas , etsi natura sua mutabilis, non immutetur. Quod autem eventuale, de quo disputamus jus, utilitatem aliquam adnexam habeat, patet ex eo quod quisque, licet testamentum revocabile esse cognoscat, haeres scribi vellet, et spem saltem acquirere, quae emi, vendi, et permutari aliquando potest.

Non recte insuper judicare videntur qui dicunt esse contra naturam , ut qui decessit , de rebus suis disponat; testator enim dum viveret, perfectum actum elicuit, nisi voluntatem mutaverit , ac proinde necesse fuit ut tunc acceptatio fieret , cum voluntas amplius mutari non posset.

Eodem modo sentiendum de iis est qui idcirco Testamenta condendi jus non ex natura , sed ex civilibus institutis derivant, eo quod illa possint per haec irritari , quod fieri non posse arbitrantur si eadem ex natura procederent. Ea enim quae ex Jure naturali absoluto procedunt, non possunt per civiles Leges irritari; quae ve-

ro ad jus hypotheticum referuntur, possunt aeque a civili Lege pendere. Et sane ea quae a natura praescribuntur, quaeque publicam felicitatem respiciunt, debent necessario per civiles Leges sanciri, ac determinari; publica enim auctoritas exclusivum jus habet de vera societatis felicitate judicare. Contractus deinde emptionis, venditionis, et caetera hujusmodi, nonne ad Jus naturae hypotheticum referuntur, et simul possunt per civiles Leges irritari? Nonne donatio inter vivos, quae, ut ajunt *insinuata* non fuerit irrita omnino est?

Ex hactenus dictis patet, *Testamentum* in expressa nostrae voluntatis declaratione consistere de nostrarum rerum dominii translatione, deque iis, quae fieri volumus post mortem, ea conditione, ut post eamdem fiat acceptatio. Est igitur validum, cum voluntas fit immutabilis. Cum vero alicujus voluntas nonnisi per testes, vel per scripturam constare possit, hinc Testamentum distinguitur in *scriptum* et *nuncupativum*.

Ille qui translationem dominii post alterius mortem acceptat, quique testatoris personae quodammodo vices gerit, eamque quoad obligationes, et jura quae oriuntur ex dominii natura repraesentat, *Haeres* dicitur; rerum autem translatarum collectio *haereditas*. Qui igitur vel factis, vel verbis translationem acceptat, statim fit haeres.

Cum vero jus idem haeres acquirat quod in relicta bona testator habebat, patet, si aes alienum integram haereditatem exaequet, jus haeredis nullum esse, quia respondentes obligationes idem extinguunt. Ut autem quaelibet culpae, vel doli suspicio removeatur, sapientissime per civiles leges constitutum est, ut relicta bona describantur, ex iisque tantum haeres solvere creditoribus teneatur.

Etsi jus Testamenta condendi ex natura dominii possit dimanare, non est tamen putandum hoc ita in testatoris potestate esse, ut ulla absque lege eodem uti possit, nullumque esse naturale officium, quod idem in trasferendo per Testamentum rerum suarum, et jurium dominio, servare debeat. Quare cum naturae lex praecipiat, ut quisque in suarum rerum dominio transferendo, ut exigunt officia constituat, haec erunt in condendis testamentis in genere naturaliter servanda. Et primo quidem cum liberi parentum expensis alendi, et educandi sint, eorumque felicitas promovenda, ea bonorum parte ad haec obtinenda necessaria, non possunt absque naturali juris violatione iidem a parentibus privari. Quare nonnisi liberi, qui jam puberes facti sint exhaeredari possunt, dummodo gravissima ad id causa parentes impellat.

Ex iis insuper, quae de parentum, et liberorum officiis nuper docuimus, sequitur Patrem

in bona filii jure saltem hypothetico succedere, dummodo filius sine liberis, et uxore ex hac vita migraverit.

Si igitur tam Parentum ad bona liberorum, et puberibus liberis ad bona Parentum qui decedunt, jus est imperfectum, multo magis imperfectum jus erit collateralium quoad successiones inter se. Cum enim naturalis ratio suadeat, beneficia iis in collisione conferenda, qui et humanitatem cum nobis habent communem, et speciali cognatione sunt obstricti, patet collaterales esse caeteris praeferendos hypothetice, si scilicet diligentius naturalia officia adimpleverint.

Ex principiis hactenus demonstratis eruitur quid de successionibus *ab intestato* judicandum sit, ex eo enim quod quis intestatus obierit, non recte infertur res, et jura primo occupanti reliquisse, quod utique praesumendum esset, nisi naturales ab intestato successiones admitterentur.

Itaque supponi debet, unumquemque etiam imperfecta officia voluisse adimplere nisi contrarium omnino appareat, ac proinde beneficentiae quoque jure naturali praescriptae satisfacere. Cum igitur, natura ipsa duce, omnes sponte feramur ad beneficia rependenda, maxime cum officia humanitatis erga alios cum nostris obligationibus non colliduntur, hinc intestatus praeferre voluisse praesumitur eos, qui ob speciale obligationis vinculum ipsi chariores esse debuissent.

Verum quis erit judex, maxime si nullus sit filius impubes, quem unum perfectum jus ad aliquam saltem haereditatis paternae partem habere demonstravimus? Quinam hominem defuncto chariorem, et jus ad beneficentiam habentem cognoscere poterit? Leges igitur quae successiones ab intestato moderantur sunt juri civili relinquendae.

Ut autem ea absolvamus quae ad Testamenta referuntur restat ut de consectariis ex constitutis principiis dimanantibus loquamur. Cum igitur nemo, praeter filios impuberes perfectum naturale jus ad alienam haereditatem habeat, hinc jure naturae externo quisque poterit haeredem suum ex sententia scribere, eique haereditatem quavis conditione, physicae, vel moralis facultatis limites non excedente, conferre.

Quod si publicae saluti expedire videatur, potest in Civitate, non solum praesumptio, verum ipsa testatoris voluntas certis limitibus definiri, nemo enim in Reipublicae detrimentum proprietatis jure potest abuti.

Cum insuper ex Jure naturae una, ac simplex Testatoris voluntas, rerum suarum translationi legem imponat, hinc haeredis constitutio ad validitatem Testamenti necessaria non est, eo quod contradictionem non involvat quod quis voluntatem suam partim declaret, partim praesumi velit.

Quod si plures haeredes instituantur, ii omnes collective sumpti, Testatoris personam quoad ejus bona repraesentant; si quis igitur eorum vel non possit, vel nolit haereditatem adire, idem est, ac si haeres institutus non esset, atque ejus pars cohaeredibus naturaliter accrescit.

ART. VI.

De contrahendis erga alios obligationibus.

Rerum et operarum tum communicatio, tum translatio omnino necessaria inter homines est, ut perfectionem, et felicitatem sibi comparent, quae suprema naturae lex est, ut quae imperfecte debentur, perfecte debita fiant. En contractuum inter homines origo, qui tum ad res, tum ad operas referuntur, quique mutuo duorum, vel plurium consensu perficiuntur. De singulis igitur contractibus, quantum naturae lex sinit, distincte disseramus.

§. I.

De Promissione.

Si rem vel operam in futurum tempus alienare, vel in alium transferre quis velit, pluribus modis istiusmodi voluntas alteri declarari potest. Si hoc ergo declaretur, atque uno, eodemque tempore alteri jus detur id exigendi, dummodo alterius partis adsit acceptatio *Promissum*, vel *Promissio perfecta* dicitur; quippe quae includit animum perseverandi, et perfectam parit obligationem; quisque enim potest quodcumque jus in alium transferre. Itaque cum perfecta promissione, *simplex pollicitatio* confundi non debet, quae in solius offerentis promissione consistit, atque nuda est assertio, qua declaratur quid facere cogitet, non tamen statuitur nullo pacto aliud fieri velle. Attamen si quis adeo se pro futuro tempore determinat, ut signis ad indicandam perseverandi voluntatem sufficientibus utatur, atque ex immutatione voluntatis detrimentum alteri inferatur, illud resarciendum est; qui enim temere, et incaute pollicitus est, saltem indirecte caussam alieno dedit errori, quem praecavere debebat, adeoque damnum exortum ei rectissime imputatur.

Qui autem naturalibus obligationibus contractum addit, caveat, ne quid sibi, vel alteri detrimenti afferat; secus enim, quamvis obligatio externo jure valida, attamen promittens id, quod sibi damnum est allaturum, naturae legem violat. Quod quidem etiam ab ipso acceptante, vel *promissario* aeque cavendum est, qui si velit naturalis aequitatis potius, quam utilitatis propriae regulas sequi, quod inconsulto promissum est, acceptare renuet, vel saltem exiget nunquam, nisi forte cognita post acceptationem promissi temeritate, officia erga seipsum cum officiis erga promittentem collidantur.

Promissa servanda esse, ex ipsa promissionis natura sequitur; nam cum aliena jura laedere vetitum sit, vetitum etiam, ut nil agamus perfecto juri in alium translato contrarium. *Perfidia* igitur, seu violatio fidei, quam quis dedit matura animi deliberatione alienae utilitatis gratia, execrabile vitium est, praesertim si de promissis sermo sit, in quibus jus quaesitum, nec vi, nec publicae auctoritatis ope multoties sibi asserere fas est.

Ex eadem naturali lege, quae neminem laedendum jubet, sequitur, et promittentem, et promissarium ad veracitatem teneri; nam cum pacta inter homines naturali jure sint constituta, ut quae imperfecte debebantur, perfecte debita fierent, si promittens falsiloquio uti posset, jus

promissarii nullum esset, quod est absurdum. Itaque quidquid est sufficienter indicatum tamquam verum assumitur contra promittentem, qui a contractus obligatione nullimode liberatur. An omnes valide promittere possint, quaestio est ex ipsa promissionis natura dirimenda. Cum enim quisquam antequam promittat, ac fidem obliget, illud matura deliberatione cavere debeat, ne sibi, vel aliis damnum inferat, sequitur, neminem valide promittere posse, qui consilii, et deliberationis expers sit, vel quod constanti animi vitio laboret, vel quod aliqua rapiatur animi perturbatione.

Ex hactenus dictis liquet, vim omnem obligationis a promittentis voluntate oriri, poterit ergo obligationi suae quamlibet apponere conditionem, dummodo aliquid naturali legi contrarium non contineat. Itaque conditiones tam phisice, quam moraliter impossibiles naturae lex rejicit; omnes alias autem admittit. Quod si conditio moraliter impossibilis, seu turpis adimpleta fuerit, debet ne altera pars, quod promisit, praestare, tamquam sceleris praemium et mercedem? Arduam hanc quaestionem existimarunt Juris interpretes, ac in diversas abierunt sententias, inter quas illa Grotii nobis magis adridet, qui lib. 2. c. 11. §. 9. crimine perpetrato, promissorem teneri docet ad praestationem ejus, quod promisit; falluntur enim, qui contrariam

tuentur sententiam in eo, quod arbitrentur, actus illicitos juris effectu semper destitutos, quod falsum est. Itaque cum promissa merces aliquid aestimabile sit, culpam culpae addit, qui alterum ad peccandum allicit, et mercede criminis fraudat. Idem sentiunt s. Thomas 2. II. quaest. 69. art. 5. ad secundum, Cajetanus quaest. 32. Lessius de Just. et Jure. L. 2. c. 18. n. 18., aliique complures, quos laudati scriptores commemorant.

At contrarium asserendum putamus, si de eo sermo sit, qui crimen aliquod, vel damnum, quod alter admittere, vel inferre paratus est, promissione interposita impedire curat; eum enim, ut fidem servet, nulla obligatione teneri censemus. Qui enim injustam vim inferre parat, non differt ab injusto agressore, contra quem omnia licita esse docuimus, sine quibus impendentem injuriam nequimus avertere. Cui igitur et vim, et mortem ipsam inferre licet, hunc innoxia fraude decipere, eoque pacto et impendentem injuriam vitare, et crimen impedire, et aggressoris vitae parcere jure naturali licere manifeste constat; injuria enim repellitur minori, quo potest, aggressoris detrimento.

Conditionis validae effectus praecipuus est, ut obligationem suspendat, et valida non sit promissio, nisi conditione adimpleta. Praeter conditionatas aliae sunt diversi generis promissiones.

§. II.

De Donatione.

Inter actus beneficos frequentissima est *donatio*; quae est rei nostrae translatio gratuita in alterius dominium, quae cum ex praesenti voluntate pendeat, indiget acceptatione. Voluntas ergo donantis, et acceptatio donationem perficit, non autem traditio; etenim post eum actum dominium translatum est, et donatarius rem suam potest vindicare.

Cum donatio actus sit mere gratuitus, absurdum est ut donator aliquid ab eo, cui beneficium contulit exigat, tunc enim contractus onerosus esset. Itaque donatio natura sua irrevocabilis est, nisi caussa mortis fieret; tunc enim a conditionata promissione non differret. Quaeritur autem, an donatio remuneratoria mortis caussa facta revocabilis sit. Affirmativam sequendam esse sententiam evidenter constat; quamvis enim beneficia beneficiis rependere natura jubeat; jus tamen beneficium exigendi imperfectum est; et cum a voluntate morientis pendeat, an gratus esse velit, et quo tempore, et qua ratione beneficium conferre, nulla adest ratio cur et conditionem apponere non possit, ut donatio revocetur si convalescat.

Cum donatio mortis caussa nonnisi post mortem donatoris perficiatur, si donatarius ante donatorem decedat, evanescit; qui enim certae personae beneficium conferre voluit, non et ejus haeredibus conferre voluisse praesumitur, nisi expresse significaverit.

§. III.

De Commodato.

Inter contractus beneficos *commodatum* etiam locum habet, in quo a domino aliquid utendum alteri gratis praebetur, ut id in specie restituat, atque usui modus, quantitas, et terminus ab eodem domino praescribitur. Jus ergo commodatarii a commodantis voluntate pendet, contra quam si quid fecerit, benefactorem laedit, et ad reparationem obligatur; quare nihil de hoc contractu dicendum esset, si semper homines manifeste voluntatem declararent; at quia saepius roganti commodatur aliquid, nulla addita conventione, praesumptionibus fit locus, et quaeritur primo si pereat res, aut deterior fiat, ad quem damnum pertineat.

Quamvis commodatum solam accipientis utilitatem plerumque respiciat; attamen interdum et commodantis tantum, et utriusque gratia com-

modari res potest. Primo casu si res ipso usu deterior fiat, qui a domino concessus est, nihil praestandum ; in eo enim consensisse dominus censetur. Si autem res inevitabili periit infortunio, distinguendum an hoc ejus generis sit, quo res commodata etiam apud dominum periisset , nulla interveniente commodatarii culpa ; tunc enim ab eo nihil praestandum esse ratio docet ; verum si non aeque apud dominum periisset, accipiens, casum praestabit domino, qui nunquam praesumitur periculum in se recipere voluisse. Secundo autem si quis commodantis tantum gratia aliquid accepit, damnum quod ex inevitabili facto procedit non praestabit; non enim praesumitur periculum in se recipere voluisse, qui comodanti operam locat, ac nullam ex re commodata utilitatem percipit; imo nec culpam saltem externe praestare tenetur, cum commodanti imputandum sit, quod negligentiorem hominem elegerit, ut suae utilitati inserviret. Tertio denique, si utriusque causa res commodata perierit, accipiens nullam aliam culpam praestabit, quam eam, quae proxima dolo est ob eamdem rationem, quam in secundo casu explicavimus.

§. IV.

De Mutuo, et Precario.

In eo *mutuum* differt a commodato, quod hic datur gratis non res ut in eadem specie restituatur, sed quae usu consumitur, et quae in eodem genere, quantitate, et qualitate, praestituto tempore restituatur. Fatendum tamen est, mutui characterem non a qualitate rerum et natura, sed a contrahentium voluntate deduci; nam una, eademque res potest quidem et mutuari, et commodari licet usu consumatur. Itaque et dominii translatio, et rei traditio necessaria est, ac postquam res mutuata in dominio est accipientis, debet hic et casum omnem, et culpam praestare, cum res illa a propria non differat.

De *Precario* vix loquimur; id enim dicitur quod precibus petenti conceditur tamdiu utendum, quamdiu is, qui concessit patitur, adeoque in eo tantum differt a commodato, quod res utenda traditur sine ulla temporis praefinitione.

§. V.

De Deposito.

Si quis nos rogat, ut rem aliquam custodiamus, quam apud nos deposuit, ac gratis custodiam

promittamus, contractus beneficus oritur, qui *depositum* dicitur, quo alienae rei custodia imperfecte debita, perfecta fit, adeoque perfectam parit obligationem. Dominium igitur est apud deponentem, atque is, qui recepit non obligatur ultra facultatem suam, nullam enim aliam diligentiam in re deposita custodienda censetur promisisse, quam eam, qua in suis rebus custodiendis utitur; quare si res deposita est apud negligentem, et periit, culpa est deponentis, qui negligentiori rem suam custodiendam commisit. Multo minus igitur depositarius praestabit casum, vel infortunium, quia neque rei dominium habet neque periculum in se suscepisse praesumitur, nisi forte depositum in gratiam depositarii fiat; tunc enim vel in commodatum, vel etiam in mutuum converteretur. Idem dicendum si restitutionem depositarius detrectet; etenim post culposam moram, infortunium ipsum eidem imputari debet.

Utrum in communi fortuito periculo res potius depositas, quam nostras servare debeamus, quaerunt nonnulli.

Nos ad rem depositam nostrae praeferendam saltem generice non teneri evidentissima ratio demonstrat; ea enim tantum custodia promittitur, quam in nostris rebus adhibemus; infortunio igitur, non culpae tribuendum, si officia collidantur, et ab obligatione liberemur.

Ceterum obligationem adesse restituendi res depositas statim ac eaedem a domino repetantur, impensasque reficiendi, quae ad custodiendum depositum factae sunt, res est evidentissima.

§. VI.

De Mandato.

Hactenus de contractibus beneficis, qui circa res versantur, loquuti sumus; mandatum vero facta respicit, et mutuo perficitur consensu. Si quis enim alteri mandat, ut quid suo nomine faciat; alter vero tacite, vel expresse promittit, se, quod mandatum est, gratis facturum, contractus *mandatum* dicitur. Ea mandantis mens sit oportet, ut alterum perfecte obligari intelligat; si enim commendat, precatur, consilium dat, jus perfectum acquisivisse, vel mandasse non censetur.

Cum autem procurator velle non possit, nisi quod mandans voluit, debet mandati fines custodire; quod si mandati exequutio judicio sit procuratoris commissa, is omnia ad mandantis utilitatem debet componere eadem diligentia, qua in rebus suis utitur; id enim promisit, cum aliquid se alterius nomine facturum spopondit. Quare si ita sese Procurator gesserit, rata omnia

a mandante habenda sunt; praestabit ergo casum, et infortunium, quo procurator damnum aliquod passus sit, si infortunio caussam dederit revocatio mandati.

§. VII.

De Fidejussione.

Contractus beneficus est etiam *fidejussio*, qua quis gratis obligatur alteri ad obligationem implendam, quam erga ipsum tertius quidam contraxit, vel contracturus est, si forte, quod tertius debet, consequi non possit. Rei igitur principalis non extinguitur obligatio, et fidejussor in debiti securitatem accedit.

Ex hujus gratuitae promissionis natura eruitur etiam, fidejussorem teneri, nisi reus principalis debitum solverit; id enim tantum sufficit ad crediti securitatem, nec beneficium collatum esse praesumitur ultra postulantis indigentiam. Conditione tamen existente, fidejussor ad solutionem tenetur, per quam jus acquirit cogendi debitorem, ut damnum culpa sua datum resarciat. Unus autem, vel plures fidejussores esse possunt. Si plures, obligatio cujusque, et inter se, et erga creditorem, ab expressa eorum voluntate pendet. Si enim in solidum, et sepa-

ratim quisque fidejussit, singuli tenentur ad solvendum debitum solidum, nec solutione ab uno facta, is contra reliquos fidejussores aliquid juris acquirit, quin imo omnes unius solutione liberantur; nihil enim in hypothesi fidejussor caeteris promisit. Si vero pro reo plures conjunctim fidem dixerint, tunc omnes collective sumpti ejusdem personam repraesentant, adeoque tenentur pro aequali parte.

Quod autem attinet ad creditorem ipsi integrum est a quovis ex confidejussoribus solidum debitum exposcere, si caeteri solvendo non sint, aut implere obligationem detrectent; omnes enim simul sumpti creditori obligantur. Ceterum absurdum esset, ut pluralitas fidejussorum, qui in debiti securitatem accipiuntur, duriorem conditionem creditoris efficeret, ita ut si unus solvendo non sit, is periculum in se recipere cogeretur.

§. VIII.

De Permutationibus.

Haec omnia recte procedunt, si quis praestare, aut dare gratis alteri velit: nisi aut velit, aut possit naturali lege, qua jubemur, ut res, et operas invicem communicemus obtemperat, eo

pacto, quo potest, et rem aut operam suam postulanti, ut vicissim sibi, aut rem, aut operam praestet, onus imponit. Inde exortae permutationes, contractus omnium simplicissimus, et vetustissimus, et caeterorum, quae inter homines geruntur, fundamentum; contractus enim omnes permutationes sunt; simulac igitur duo praesentem voluntatem manifeste declarant sibi invicem transferendi dominium rerum permutandarum, consensu mutuo contractus perficitur, nec traditio ad translationem dominii est necessaria.

Cum *permutatio* ex consensu procedat, a contrahentium arbitrio pendet, rerum permutandarum aequivalentiam statuere, et si metus, error, dolus a contractu absit, permutationes omnes jure naturae aequalitatem habent. Aequalitas comparationem supponit; comparationem instituere, nisi contrahentes possunt, cum pretium natura non sit praefinitum. Laesio autem enormis, qua permutationes rescinduntur, jure civili introducta est; quae tamen pretio rerum lege, vel consuetudine definito aequissima est, ac vel doli, vel erroris praesumptioni innititur.

§. IX.

De Emptione et Venditione.

Pecunia introducta, res, operae, et jura facilius cum ea permutantur; quae quidem permutationes diversis nominibus indicantur, ita ut rei cum pecunia permutatio, emptio venditio dicta sit; operarum vero, vel juris alicujus locatio, conductio, usura, cambium, de quibus singillatim nonnulla dicenda sunt.

Itaque *emptio* et *venditio* est contractus onerosus, quo quis dat rem, alter vero pro re pecuniam, per quam pretium rei determinatur. Ubi convenerit de pretio, atque emptor paratus est pecuniam numerare, contractus perfectus est, et rei venditae dominium in emptorem translatum, dummodo res vendita certa et definita in qualitate et quantitate esse possit, licet traditio facta non sit.

Cum tamen ab arbitrio venditoris pendeat, an pretium illico exigere, an in futurum remittere, aut alia ratione de pretio velit satisfieri, contractus tamen licet mixtus perficitur; soluta enim pecunia intelligitur, et emptori mutuo data, ut certo eam tempore restituat. Quare quidquid pretio aliquo aestimabile est, vendi potest.

An interna rei venalis vitia, quae in oculos non incurrunt, quaeque efficiunt, ut res eum usum non habeat, quem posset habere, et quae molestiam afferrent emptori, simul ac deteguntur, manifestanda sint, nemo dubitabit, nisi qui officia hominum erga alios ignorat.

Cum mutno consensu emptio, et venditio perficiantur, quodvis pactum contrahentes apponere contractui possunt; vix autem contractus perficitur, idëoque in emptorem dominium translatum, pericula et commoda rei emptae pertinent ad emptorem; nec interest an res emptori tradita sit, vel apud venditorem emptore consensiente remanserit.

Cum damna ab eo reparanda sint, cujus culpa data sunt, *evictio* naturaliter a venditore praestanda, id scilicet, quod venditor vel expresse, vel tacite ex contractus natura praestandum assumpsit. Sive igitur tota res, sive pars evincatur, habet regressum emptor in venditore, ut indemnis praestetur: evinci autem res dicitur, cum tertius jus aliquod, tamquam suum in re empta sibi vindicat, quod in emptorem transferre venditor promiserat. Hoc autem in permutatione tantum onerosa valet, non in contractibus beneficis; qui enim donat, in donatarium dominium transfert, quod habet, nisi forte donatio vim habeat compensationis; tunc enim contractus onerosi naturam indueret.

Si ex duabus rebus una vendita sit ab emptore, vel venditore eligenda, quaeritur quem rerum venditarum ante optionem periculum respiciat. Tueri hic certe non possumus ea, quae a Romanis legibus et a Jurisconsultis statuuntur, quaeque determinant prioris rei periculum ad venditorem, posterioris ad emptorem respicere; a naturali namque justitia recedunt; contractus enim istiusmodi ad emptionem quidem, et venditionem accedit; revera autem non est, certa enim non solum in quantitate, sed et in qualitate res vendita esse debet, adeoque redigitur ad permutationem pretii cum jure compellendi venditorem ad alterutrum eligendum, vel exigendi ut dominus patiatur ut emptor quam placuerit rem eligat. Contractus igitur est conditionatus, qui non existente conditione resolvitur; non enim praesumitur, emptorem in se recepisse periculum, quo alterutrius rei electio et traditio impossibilis evaderet.

In prima igitur hypothesi si unum perierit, alterum quod superest, periculo emptoris existit, quod si utrumque, et eodem tempore perierit, antequam res quae tradenda esset eligeretur a venditore, utrumque venditoris periculo periisse dicendum est, ac contractus omnino est resolutus cum rerum optio, quae jam impossibilis facta est, fuerit contractus fundamentum.

In secunda autem hypothesi si aut altera,

aut utraque res perierit, contractus ipso facto nullus est; conditio enim non amplius extat, adeoque promissionis ab emptore factae corruit fundamentum.

§. X.

De Locatione, et Conductione.

Recte Romani J. C. locationem, et conductionem, emptioni, et venditioni proximam esse arbitrati sunt; iisdem enim fere regulis consistit, si pro pretio merces, pro re, aut opera, aut jure in perpetuum alienatis, eorum tantum usus ad tempus translatus intelligatur.

Locatio autem et *conductio* est contractus onerosus, in quo alter, usum rei, aut operam praestat, alter mercedem, adeoque pecunia permutatur, seu potius jus pecuniae exigendae cum opera, aut usu rei alienae si ad hujus contractus naturam animus advertatur, et accurate quid sibi invicem contrahentes promittant, meditari velimus, facile obligationes, et jura tam locatoris, quam conductoris intelligi facili negotio possunt.

Primo enim quod si ex ipso usu, qui *conductori* locatus est, res deterior fiat, domini erit periculum; in id enim consensisse praesumitur;

culpa autem, et dolus conductori tantum imputantur.

Secundo deinde quia usus rei cum jure exigendae mercedis permutatur, id juris locatori naturaliter competit in conductorem mercedem non solventem, quod creditori adversus debitorem. Cum insuper jura invito nequeant auferri, nec rei locatae vendendae, aut non necessario reparandae caussa, nec quod locator ipse ea uti velit, usus auferri potest. Itaque si nec dolo, nec culpa conductoris, rei locatae usum amittat, conductio vel nulla, vel saltem suspenditur, nec inquilinus, aut colonus mercedem, aut pensionem solvere cogitur, nisi pro rata usus quem potuit habere; locator enim praestare debet usum, qui in hypothesi nullus fuit. Non ita denique facile est definire ad quem pertineat damnum et periculum in re locata praestare. Nos quae sequuntur principia statuimus, quibus jura, et obligationes contrahentium detegi possint, habita tamen voluntatis utriusque aut expressae aut praesumptae ratione, quandoquidem eorum consensus, obligationis et juris mensura est. Itaque primo artificis imperitia merito culpae adnumeratur, adeoque datum ob imperitiam damnum, ab eo resarciendum. Secundo apud quem dominium rei est tempore locationis, apud eum est casus praestatio.

§. XI.

De Societate

Inter contractus onerosos *societas* quoque est adnumeranda, quo duo, vel plures res suas, vel operas in commune conferunt, ut idem exinde lucrum percipiant, vel damnum partiantur. Societas igitur quae negotii alicujus exercendi causa contrahitur, ut quae ex quaestu procedunt communicentur, et mutuo consensu firmatur, et mutuo dissensu solvitur: non tamen intempestive societati renunciare licet; non enim quod privatim interest unius ex sociis servari debet, sed quod expedit societati. Sociorum vero jura et obligationes exponere, inutile prorsus est; partim enim ex eorumdem voluntate, partim ex justitiae regulis deducuntur.

Contractus hic probe distinguendus ab altero, in quo partes conveniunt, se in posterum bona omnia etiam futura collaturos invicem, quae improprie *societas universalis* dicitur, quaeque bonorum omnium communio esset nuncupanda. Quare inita hac universali societate quidquid etiam per donationem uni ex sociis factam quaesitum est, communioni acquiritur, et quisque in re communi pro rata dominium habet indivisum. Damna igitur et onera quae uni ex so-

ciis, absque ejus culpa, et dolo obvenerunt, sunt ab omnibus praestanda.

Cum socius in proposita hypothesi nil proprium habeat, ipsi jus est de communi percipere id, quo ad perfectas et naturales obligationes adimplendas opus habet; ea enim conditione societatem iniisse intelligitur, illudque sibi jus reservasse, cui renunciare non licet. Impensae tamen non necessariae, aut illicitae ipsi, non societati imputantur.

§. XII.

De contractu foenebri.

Mirum quidem est, foenebrem contractum jam ab ipsa pecuniae inventione in usum receptum, moribus, ac civilibus institutis comprobatum, in varias, et ab invicem pugnantes sententias philosophorum animos agitare, qui nondum utrum, et quo sub respectu eumdem liceat inire constituerunt. Id fortasse factum censemus, quod nec antiquitus mutuum ab hoc contractu distinxerint, et nostris adhuc temporibus non probe discernant; eamdem enim *usurae* vox sensus immutationem, quam plura alia vocabula passa est. Et re quidem vera veteres, quodlibet justum vel injustum ex qualibet re alteri tradi-

ta lucrum, usurae vocabulo designabant; in ff. enim habetur mentio *usurae legitimae*, et *usurae illicitae*; in legum codice *usurae indebitae*, et *usurae licitae*. Recentiores autem in sensu injustitiae, et peccati idem vocabulum usurparunt, quo illicitum, et injustum lucrum, quod ex mutuo procederet indicabant. Investiganda igitur prius est vocabulorum proprietas, ut deinde quaestionis sensus intelligatur, et quid de contractu, de quo disputamus judicandum sit, definiri possit.

Itaque ne nimis a communi philosophorum, ac Theologorum sensu recedamus, *usurae* nomine lucrum supra sortem exactum, vel speratum in mutuo, vel commodato vi mutui, vel commodati intelligimus. Hoc autem semper esse injustum, ex eorumdem contractuum natura, quae ad beneficos, et gratuitos referuntur evidenter ostenditur. Quod autem in quolibet alio contractu ab iisdem distincto exigitur, vel speratur *lucrum* generice, quod vulgo dicitur *interesse* appellamus. Hujusmodi vero lucrum, si vel aequitatis limites excedat, vel mutui auxilii officiis adversetur, vel qualibet alia de causa malum sit, *lucrum illicitum* nuncupamus.

His positis, generice loquendo, et peculiaribus quibusdam adjunctis exceptis, contendimus in contractibus, qui neque mutuum sint, neque

commodatum, lucrum aliquod supra sortem esse licitum.

Argumenta quae in hujus veritatis confirmationem afferri possent, ad duo suprema capita reducuntur, scilicet ad aequalitatem in contractibus servandam, et ad contractuum, de quibus disputamus, essentiam.

Et primo quidem justitia in omnibus omnino contractibus servanda postulat, ut datum inter, et acceptum aequalitas habeatur, haec autem servatur, si lucrum aliquod sorti accedat; qui enim pecuniam ab alio accepit, incommodum in eo produxit, qui non solum usu, sed facultate quoque eadem utendi semetipsum privavit. Itaque per simplicem sortis restitutionem aequalitas omnino turbatur, eo quod incommodum ob privationem usus, et commodum ab accipiente perceptum, hunc illo melioris conditionis efficiunt.

Neque ad hujus argumenti vim declinandam possunt ad eam hypothesim adversarii confugere, in qua illi qui pecuniam alteri dedit, vel nulla sese praebuerit occasio eadem utendi, vel sub custodiam eamdem retinendi jam ab initio constituerit; illud enim contrarium non excludit, ac proinde cum nos in genere, et quibusdam exceptis adjunctis rem demonstremus, nihil exinde concludi posset quod nostrae sententiae vel minimum adversetur.

Facile insuper est etiam in supposita hypothesi ostendere, lucrum aliquod ultra sortem exigere contractus naturae non repugnare, neque ex hoc aequalitatem in eodem servandam turbari.

Nulla itaque danti sese praebeat occasio pecunia illa utendi cujus usum alteri per determinatum quoddam tempus concessit. Num ex facto illico concludendum erit impossibile fuisse, quod eadem sese praebere potuerit? Ipse igitur actus quo in concedendo pecuniae usu quis eadem utendi facultati renunciavit jam in se incommodum continet, quod non aufertur etiamsi nulla reapse occasio sese praebuerit.

Id etiam in altera hypothesis parte locum habet; quamvis enim in actu ipso quo quis pecuniae usum concessit; eadem per determinatum tempus non utendi constituerit etiamsi occasio non sit defutura, negari tamen non potest in hac ipsa determinatione aliquod incommodum contineri; cum enim nihil sit humana voluntate mutabilius, patet in ea determinatione factam quoque renunciationem fuisse facultati consilium in posterum immutandi.

Posito igitur in hujusmodi contractibus commodo ex parte accipientis, et ex parte dantis incommodo, ut lucrum quod ad hoc reparandum exigitur licitum esse clarius demonstremus, universalem, et constantem omnium hominum sententiam in medium adducimus, alterius scilicet

commodum, et utilitatem pecunia aestimari debere. Origo namque pretii, ut recte observat Antonius Genuensis in suis *de Commercio* lectionibus *p.* 2. *Cap.* 3. §. 8. a commodo, et utilitate dimanat, quam res in nobis producunt, ut vel existentiam conservemus vel nostrae felicitati prospiciamus; domus namque, vestes, currus etc. nullum alium fructum, quam voluptatem, et utilitatem producunt, pretio tamen aestimantur. Possunt igitur homines gratuito commoda, et utilitates aliis praebere, et in hac hypothesi res vel mutuatae, vel commodatae censentur; at si easdem nolint vel dare mutuas, vel commodare, quis eosdem jure prohibebit aliquid exigendi pro utilitate ab aliis ex earumdem usu percaepta?

Licitum insuper omnes existimant, aliquid supra sortem exigere ratione vel cessantis lucri, vel damni emergentis. Jam vero inter damna, commodi et utilitatis privatio merito potest adnumerari, quae cum ab hujusmodi contractibus separari non possit, lucrum quod hoc titulo percipitur cohonestat.

Antequam ad alterum, quo eadem veritas confirmabitur, argumentum gradum faciamus; ea praestat refellere quae solent communiter opponi iis de quibus hactenus disputavimus. Et primo quidem arbitrantur, ex nostra sententia, nullum amplius usurae locum superesse, ex eadem namque sequi, quod neque in mutuo, vel

commodato, aliquid supra sortem exigere illicitum sit, cum etiam ab iisdem dantis incommodum, et commodum accipientis separari non possint.

Verum dari quidem in sententia nostra potest, imo saepissime locum habet usura, quoties homines liberalitatem cum utilitate propria conjungere conantes, dum pecuniam dant mutuam, vel alias res commodant, restitutionis tempore adventante, dolo, et fraude lucrum aliquod extorquent. Datur insuper usura, quoties homines plus ultra sortem exigunt quam quod sufficiens est ad incommodum, cum aliena utilitate comparatum lucro aliquo rependendum. Quod si his tiame posthabitis, quae in nostra sententia adhuc remanerent usuris, alias adversarii earumdem species, quibus relinquitur locus velint agnoscere, animadvertant in ea lucra, quae utpote charitati adversa illicita sunt, et usurae nomine communiter designantur. Haec enim virtus, quae nos ad eleemosynam elargiendam quandoque obligat, multo magis ad pecuniam mutuandam interdum obstringit. Si itaque in his adjunctis contrarium agatur, lucrum, quod exinde percipitur illicitum omnino est. Ad examen etiam revocent Graecorum Schismaticorum, Calvini, et Caroli Molinaei sententias, et inhexaustos usurae fontes habebunt. Falsum denique est, ex nostra sententia neque in mutuo, vel commodato, lucrum

supra sortem illicitum esse ; contractus enim hujusmodi benefici, seu gratuiti sunt, unde qui eos ineunt cuicumque titulo, et utilitati renunciant, quare nullam ex incommodo quod patiuntur lucri cohonestandi rationem desumere possunt.

Quod altero loco solet ab adversariis opponi, ex iis desumitur, quae habet de-Chanteresme in *Tract. de Usura*, quem nonnulli Nicolio tribuunt, pecuniae scilicet privationem ad tempus, rationem esse non posse, cur aliquid supra sortem exigatur ; hoc enim posito, Divinum, quo usurae interdicuntur praeceptum penitus evanesceret, eo quod impossibile sit rem vel dare mutuam, vel commodare, quin eadem determinato quodam tempore privemur. Hoc etiam Doctoris Angelici auctoritate confirmant, qui de utilitate loquens, quam ex pecunia percipit mutuatarius ait - beneficium mutui non est aliud, quam pecunia mutuata, unde si plus exigitur . . . . . est injusta exactio -

Antequam primam objectionis partem refellamus, explicandus est sensus sententiae S. Thomae subjectus, qui certe non est utilitatem ex pecunia acceptam non esse in genere pretio aestimabilem, bene vero ut excludat eorum rationes qui cum jam mutui contractum inierint post cognitam utilitatem mutuatarii, lucrum aliquod licite ex mutuo ipso percipere praesumunt. Nec alia esse potuit S. Doctoris mens, cum *secunda*

secundae quaest. 78. *art.* 1. *ad* 6. docuerit aliquid pro pecunia ad ostentationem data exigi posse, quod certe non asseruisset, si commodum, et utilitatem pretio aestimari non posse arbitratus fuisset.

Veniamus nunc ad primam contrarii argumenti partem, quae certe in circulo vitioso fundatur; auctor enim in eo Tractatu in duplex aequivocationum genus incidit. Et sane confundit cum mutuo omnes pecuniae contractus, in quibus sors irrevocabiliter non alienatur; concedit insuper aliquid supra sortem exigi posse, dummodo emergentis damni titulus adsit; nomine autem damni illud tantum intelligit quod ex pecunia ipsa resultet quae duo falsa omnino sunt; omnes enim nomine mutui gratuitam tantummodo rei praestationem intelligunt, ac nomine damni, etiam incommoda omnia designant, dummodo pretio possint aestimari. Evanescit ergo integrum adversariorum argumentum, eo quod in eodem id supponatur, per quod hoc alterum esset demonstrandum; scilicet ex Divino praecepto omnia omnino lucra ex quolibet pecuniae contractu derivantia improbari.

Nec desunt qui aequalitatem in hujusmodi contractibus servari putant etiamsi nihil ultra sortem exigatur; cum enim debitor in se etiam casum accipiat, et pecuniam statuto tempore restituere teneatur, etiamsi eadem apud se absque

sua culpa perierit, ex ipsa securitate, seu immunitate creditoris, hujus incommodum compensari arbitrantur, ita ut si lucrum ultra sortem perciperetur aequalitatem turbaret, ac deteriorem debitoris conditionem redderet.

At qui ita sentiunt vehementissime decipiuntur. Periculum enim alienam pecuniam amittendi, quemadmodum utilitatem ex eadem percipiendam non minuit, ita non potest efficere, ut nullum sit ex parte dantis incommodum. Ut autem liberius cum adversariis agamus, demus paulisper, periculum de quo ipsi loquuntur esse pretio aestimabile, esset e contra pariter aeque aestimandum periculum creditoris, qui ex fortuito casu debitorem in eam conditionem adducente ut solvendo par amplius non esset, spem sortis recuperandae non amplius haberet.

Sed jam tempus est ut ad alterum quod nostram doctrinam confirmat argumentum veniamus ex contractus, de quo loquimur, natura petitum, quem unum, idemque esse cum locatione arbitramur. Quemadmodum enim eadem res potest alteri commodari, alteri locari, non videmus, cur mutui contractus, non possit in permutatorium, seu locatorium abire; vel igitur pensiones, quae ex domorum usu exiguntur inter illicita lucra sunt collocandae, quia domus commodari possunt, vel concludendum est posse etiam pecuniam locari.

Unica, quae in contrarium posset afferri ratio, ex eo desumitur, quod rei locatae non dominium, sed usum tantummodo in locatarium transferatur; pecuniae vero cum res fungibilis sit, usum a dominio distingui non posse, hinc concludi posse videatur, pecuniae dominium in accipientem transferri, ac proinde contractum foenebrem nunquam cum locationis contractu posse confundi.

Verum nulla vis allatae rationi inest; qui enim vel in mutuo, vel in contractu foenebri alteri ad tempus pecuniam praebuit, eamdem *suam* vocat, inter suos fundos recenset, et ille qui pecuniam accepit dicitur *aes alienum* contraxisse, *alienam rem* possidere. Potest insuper creditor pecuniam alteri datam vendere, ludo committere, et alio quovis modo de eadem etiam per testamentum disponere. Haec autem omnia evidenter ostendunt, pecuniae usum, non vero dominium translatum fuisse.

At inquies res perit domino; pecunia autem accepta perit debitori, ergo debitor est acceptae pecuniae dominus.

Ad omnes aequivocationes tollendas respondemus, aliud esse transferri, aliud confundi alicujus rei dominium. Rem exemplo illustremus. Si alteri ex. gr. centum tritici mensuras custodiendas ad tempus tradamus, isque facta a nobis potestate easdem cum suo tritico immisceat,

dominium certe non acquirit in nostras, etiamsi eas distinguere amplius non valeamus; erit ergo dominii confusio, non autem translatio. Ex hac autem confusione fit ut dominium nostrum commutatum pro rata sit in totam tritici quantitatem existentis in horreo, et constituto tempore liceat nobis ex eodem traditam tritici quantitatem repetere.

Hoc igitur posito, antequam argumentum solvamus, statuendum est quid juris sit in sortem, et ejusdem fructus in hypothesi, quod non transferatur dominium, sed tantummodo commutetur. Relate autem ad sortem, idem est dominium, ac si apud nos eadem mansisset, ea tantum exceptione facta, quod ante constitutum tempus eamdem repetere non liceat. Quoad vero fructus idem dicendum est quod de sortis dominio demonstravimus. Si enim, ut allato stemus exemplo, triticum elapso jam anno una cum alterius tritico vendere statuamus, ejusque pondus vel pretium auctum inveniamus, petere pro rata possumus id quo nostrum triticum vel ratione ponderis vel ratione pretii auctum est.

His praemissis, facile est argumentum solvere. Itaque falsum omnino est pecuniae alteri traditae dominium amitti; idem enim per determinatum tempus confunditur et commutatur, eo quod tradita pecunia non possit amplius ab illa debitoris distingui. Creditor autem jus perfe-

ctum in omnia debitoris bona pro traditae pecuniae quantitate acquirit. Falsum pariter est, creditorem in suae pecuniae fructus jus nullum habere; in confusione enim, vel permutatione dominii idem jus in fructus, quod est in sortem.

Excluso hoc postremo adversariorum argumento necesse est nonnulla eorumdem principia ad analysim revocare quae omnium aequivocationum causa censenda sunt. Putant primo loco, rerum fungibilium usum, ab earumdem dominio separari non posse. Verum distinguendus istarum rerum usus *absolutus* a *modali*; si quis enim triticum, vel vinum alteri det mutuum ut eodem ad determinatum finem utatur, non potest mutuatarius a constituto fine discedere, quod quidem posset, si dominium in res mutuatas haberet. Pecuniam insuper cum rebus fungibilibus, seu quae usu consumuntur confundunt. At hoc etiam falsum est; Pecunia enim distrahitur, commutatur, non autem ut vinum, triticum, oleum, usu consumitur. Fructus denique nullos pecuniam producere arbitrantur, eosque ex utentis industria tantum percipi. Quaero autem ab adversariis quinam fructus a domo, vestibus, curribus etc. naturaliter producantur, pro quorum tamen usu licite pretium solet communiter approbari?

§. XIII.

De Collybo , et Cambio

Eaedem fere regulae justitiam *collybi*, et *cambii* dimetiuntur; sed in eo praecipue istiusmodi contractus a foenebri differunt, quod merces quae collybistae, seu cambium exercenti penditur, non tantum rei fungibilis foenus, sed etiam operae pretium sit, adeoque et collybum, et cambium ad locationem, et conductionem operarum propius accedunt.

Collybista autem, qui et Mensarius, et Nummularius dicitur, is est, qui ex permutatione pecuniae cum alterius generis pecunia lucrum capit, ut qui auream cum argentea, peregrinam cum patria, abrogatam cum recepta permutat. Si merces modum non excedat, si valoris intrinseci, aut extrinseci, juxta contractus diversitatem, ratio habeatur, atque absit fraus omnis, et dolus, nil est in eo contractu juri naturali contrarium; supputanda est enim opera Collybistae, et aestimandum, quanti ejus intersit pecuniam habere paratam, quam cum non recepta, aut minus rara permutat: nam et pecunia quatenus est corpus, vel auri aut argenti obsignati congeries, emitur venditur, et tamquam merx haberi potest, atque adeo qui pecuniam argenteam cum aurea per-

mutat, ab eo non differt, qui mercem pro pretio emit.

Qui autem cambium exercent pro certa mercede pecuniae de loco in locum asportandae munus assumunt, seu spondent, se curaturos ut pecunia ipsis numerata, vel numeranda, alio in loco, et certo die solvatur vel ipsi numeranti, vel tertio, quod quidem fit per litteras, quae *cambiales* dicuntur, veteribus omnino ignotae, per quas commercia tam facile, celeriterque inter gentes, quasi inter magnae cujusdam societatis cives exercentur. Eae litterae numeranti pecuniam traduntur, qui eo pacto permutat pecuniam suam cum actione eamdem certo loco et tempore, vel per se, vel per alium exigendi. Cambium compositus contractus est ex multis simplicibus quos jam memoravimus constans, pluresque in eo contrahentes interveniunt: primus qui numerat, vel se numeraturum spondet pecuniam sibi, vel alii restituendam in condicto loco, secundus, qui eam accipit, et curaturum promittit, ut alibi solvatur, vel restituatur, tertius, cui eam solutionem, vel restitutionem secundus mandat, datis ad eum litteris, quas exhibet quartus, cui solutio, vel restitutio in condicto loco facienda. Primus *Remittens*, secundus *trahens*, tertius *Tractarius*, quartus *praesentans*, *Creditor*, seu *litterae cambialis possessor* dicitur. Unus tamen duplicem personam repraesentare potest, ut remittens

idem interdum est cum praesentante, trahens cum remittente etc.

Plura sunt quae ex Cambii natura sequuntur officia· Primo enim quia contractus omnes facile ad permutationes rediguntur, cambii contractus tamquam pecuniae absentis permutatio cum pecunia praesente, seu emptio, aut venditio pecuniae absentis pro praesentis pecuniae pretio potest assumi ; litterae autem cambiales quae dantur emptori, veluti medium sunt, quo venditor utitur ad pecuniam absentem emptori tradendam. Cum insuper pecunia absens cum venali merce confundatur, debet ejusdem pretium augeri vel minui. Quare si magna sit pecuniae absentis copia, multi qui eam vendere, pauci qui eam emere desiderant, absentis pecuniae pretium minuitur. Evictio deinde et in hoc contractu est a venditore praestanda quacumque de causa pecunia absens vendita sine emptoris culpa non solvatur, puta si tractarius mandatum non acceptat, aut cum dies solutionis venerit, solvendo amplius non sit; quod si remittens, vel emptor in mora fuerit, et litteras tractario praesentare neglexerit, ut ab eo acceptarentur, et damnum ex hujusmodi mora derivatum sit, remittenti imputandum, ab eoque ferendum patet. Cum denique cambiales litterae jus exigendi certam pecuniae absentis summam contineant, nil obstat, ut ab earum domino, et possessore

quocumque titulo in alium transferantur; adeoque et eae litterae veluti merces haberi possunt quae ut cetera omnia vendi et emi possunt. Si quis igitur alteri cedat, vendat jus suum intercedente pretio, et ipse evictionem praestabit, et si is solvendo non sit, regressus erit secundo emptori ad venditorem primum, sive trahentem, si non jam proprio, saltem primi emptoris jure, a quo una cum litteris sibi jura omnia competentia translata in secundum emptorem intelliguntur; secundus enim emptor, qui *Giratarius* dicitur, in locum primi emptoris, sive remittentis succedit. Itaque si secundus tertio, tertius quarto, et sic deinceps easdem litteras cedat, vendat, sive alio quocumque oneroso titulo earumdem dominium transferat, Giratarius ultimus, praecedentes omnes venditores, et ipsum trahentem obligatos habet: cessio enim obligationem non mutat, adeoque jura omnia, et actiones quae per continuam cessionum seriem ad cedentes pertinebant, in cessionarium ultimum transferuntur.

§. XIV.

De contractu Æstimatorio, Exercitorio, Institorio, et Constituto.

A*estimatorius* contractus est quo res vel mobilis, vel immobilis alteri aestimata, et certo pretio vendenda traditur ea lege, ut vel ad nutum tradentis, vel ad praestitutum tempus, vel pretium, vel ipsa res incorrupta restituatur. Porro autem ex contractus natura, qui rem accepit, si pluris distraxerit, sibi lucratur quod aestimationem excedit, si minoris damnum patitur, et pretium constitutum solvit.

Cum rei venalis periculum is regulariter praestet, apud quem est dominium, si quaestio de ea re suboritur, inspiciendum, an translatum in eum qui rem aestimatam vendendam accepit, dominium fuerit; necesse enim non est in eo contractu, ut dominium transferatur in accipientem, sed tantum jus vendendi rem traditam. Si translatum fuit dominium accipiens; si secus tradens periculum praestabit. Periculum autem in se recepisse tacite videtur si quis expresse promiserit se aut rem traditam restituturum, aut ejus pretium.

Institores, et *navium magistri* non differunt a procuratoribus, alteri enim negotio terrestri

gerendo, alteri maritimo praeponuntur, iisque tradita a praeponente intelliguntur jura omnia, quae utiliter gerendo negotio sibi commisso necessaria sunt, nisi quaedam expresse praeponens reservaverit: illis tabernae aut officinae, vendendae, vel emendae mercis, aut cujuscumque negotii exercendi, his quotidiana totius navis cura demandata est: ambo obligant, et praeponentem, et exercitorem, si negotii, cui praeficiuntur causa contrahant, nec mandati fines praetergrediantur. Contractus autem hujusmodi et in societatem, et in locationem et conductionem operarum abeunt, si Institoribus, aut navium magistris vel merces, vel proventuri ex navigatione aut negotio quaestus pars promittatur.

Ceterum cum tam Institores, quam navium magistri agant procuratorio nomine in iis omnibus, quae negotium cui praepositi sunt respiciunt, non sibi, sed praeponenti contrahunt, nisi contrarium expresse cum praeponente declaraverint. Quapropter ex eorum contractu praeponenti actio concedi debet, ut emptorem ad pretium, venditorem ad res venditas tradendas conveniat.

De constituto vix loquor, parum enim a simplici promissione nudoque pacto, vel fidejussione differt. Contrahitur enim *Constitutum* cum quis alienam, vel propriam, aut civilem, aut contractam praecedentem obligationem se impleturum promittit, et quod ex ea alteri debetur so-

luturum. Si propria sit obligatio, et quidem naturalis, constituens contractam addit quodammodo, et intercedente promissione, praecedentem obligationem magis in tuto collocat; si vero aliena, constituens a fidejussore vix naturaliter differt. Cum igitur Constitutum praecedentem obligationem confirmet, si nulla, et invalida aut propria, aut aliena obligatio fuerit, non firma, non valida per constitutum fit.

§. XV.

De Contractibus aleam continentibus.

Cum quidquid aestimabile pretio est, permutari, atque emi, et vendi possit, sequitur, etiam res quae probabiliter sunt extiturae emi ac vendi posse; jus enim adipiscendae alicujus rei probabiliter extiturae, aliquid sane pretio aestimabile est. Hoc jus dici communiter solet spes alicujus rei, cujus existentia ab incerto fortunae pendet eventu. Rei extiturae seu futurae nomine non tantum ens physicum, sed etiam abstractum venit. Contractus igitur, qui aleam continent illi sunt, in quibus jus ad rem quamcumque non certo extituram, cum re certa, vel pecunia permutatur. Ejusmodi contractus exemplum habemus cum scilicet futurum jactum re-

tis a Piscatore emimus. Jure naturae spectato, contractus istiusmodi liciti sunt, quodcumque futurae spei pretium constituatur, dummodo error, vel fraus, aut dolus non intercesserit. Statuto rerum pretio, cum aequalitas in permutationibus praesumatur, liciti erunt contractus, cum inter pretium spei, et probabilitatem rei extiturae aequalitas, quantum fieri potest servetur, probabilitates enim facile ad calculum rediguntur.

Huc referri debent concertationes omnes quae virtutis, et industriae causa a nonnullis fiunt, premio victoribus constituto, cujusmodi sunt, qui certant currendo, saliendo, luctando etc. victoria enim incerta emitur vicissim, et venditur et commutatur cum praemio.

Rei futurae existentia aut ex industria pendet, aut ex fortuna, aut utrique debetur. Rerum igitur pretio constituto, patet, contractus hujusmodi per se illicitos non esse, cum par industria, et pares utriusque probabilitates sunt. Hae sunt ludorum regulae, quibus eorumdem justitia ponderatur, quos hic veluti contractus, non ut irritamenta avaritiae, et temporis inutiliter terendi causas consideramus; alactores enim multoties officia erga se ipsos, et erga alios laedunt, collusori autem injuriam non faciunt.

Huc referri etiam potest *assecuratio*, contractus inter mercatores frequentissimus, in quo

alter promittit periculi indemnitatem mercibus aut rebus alienis, alter certam mercedem, quasi periculi pretium. Periculum dicitur casus fortuitus, quo res perit, aut deterior fit; casus autem est, adversus quem caveri non potest.

Ex contractus natura evidenter sequitur, eum vitiari omnino, si alter merces transvehendas jam salvas esse, aut alter periisse certo noverit; res enim tantum extitura in contractum deducitur, et obligationis est fundamentum. Vitiatur quoque si merces vel nullae sint, vel non tanti aestimabiles, quanti mercium dominus affirmaverit.

§. XVI.

De Pignore, et Hypotheca

Hominum fidem enumeratis hactenus contractibus obligatam, interdum arctiori vinculo obstringit creditor; ac postulat, ut praeter fidem datam sibi quid pretio aestimabile, quod aut pluris, aut saltem tanti, quanti contracta obligatio aestimatur debitor tradat, vel ita afficiat, ut praestituto tempore, debito non soluto, ipsi jus sit illud distrahere, et venditionis pretio sibi prospicere. Istiusmodi jus in re debitoris constitutum dicitur *Pignus* vel *Hypotheca*, et quidem Pignus, si quod supponitur ob debiti securita-

tem mobile est, et ad creditorem transit, hypotheca vero si immobile, cujus nec ipsa simplex detentio transeat ad creditorem.

Naturali jure spectato, creditor pignus et hypothecam naturalem in bonis debitoris habet, atque adeo si solvere debitum detrectat, ea creditori jure proprio invadendi facultas est naturalis. In naturali igitur statu conventionalis hypotheca inutilis omnino; in civili vero utilissima. Non idem dicendum de pignore quod creditori in debiti securitatem re ipsa traditur, ut illud vendat, si intra constitutum tempus debitum non solvatur, eo enim utilior hic contractus, quo pretiosior res habetur quae extat, quam ea quae sit extitura; qui enim sine pignore credidit, futuram solutionem sperat; qui autem cum pignore certo novit. In hoc ergo contractu, creditor jus exigendi debitum cum jure vendendi praestituto tempore rem certam debitoris permutat.

Jus igitur creditoris in pignus est, ut illud solutione non facta vendat, ac medio tempore custodiat apud se, non autem eo utatur. Quod si res fructifera pignori data sit, quidquid eidem postea accedit tenetur, atque una cum pignore vendi potest. Quae de pignore proprie dicto disseruimus facile ad hypothecam aptari possunt.

§. XVII.

De Servitutibus

Si quis licite rei suae dominium transferre potest, poterit etiam dominii partem alienare, sive alteri actionem cedere, quae ipsi veluti domino competat. Cessiones istiusmodi, *servitutes* dicuntur, quae in alterius utilitatem constituuntur, adeoque veluti personales haberi possunt. Quot sunt emolumenta, quae ex domino ortum ducunt, tot etiam servitutes esse possunt, atque earumdem quantitatem sola transferentium voluntas metitur.

Frequentiores servitutes J. C. Romani complexi sunt, eisque certa nomina, ac certam juris quantitatem imposuerunt.

§. XVIII.

De Emphyteusi

Essentialia proprietatis jura ad jus alienandi, ac fundi substantiam immutandi referuntur. Si quis autem rei suae usum fructum cum facultate immutandi substantiam, aut etiam alienandi certa lege sub annuo canone in agnitionem do-

minii aut in perpetuum, aut ad longum tempus transferat, jus possessori enatum dicitur *Emphyteusis*. Jus hoc in re aliena constitutum dicitur *dominium utile*, quod utilitates fere omnes quae ex dominio ortum ducunt in alium a proprietario translatae sint, jus autem quod sibi reliquum esse voluit habita proprietatis ratione dominus, *dominium directum*. Emphyteusis graecum vocabulum latine plantationem significat, quod principio agri steriles, et minus fructiferi colonum fortasse non reperientes sub modicae pensionis lege concederentur cultoribus, ut plantatione utiliores redderentur. Mos deinde invaluit, ut foecundi etiam agri, quin et urbana praedia, vel ut diruta reaedificarentur, vel ut in meliorem redigerentur statum, in emphyteusim concederentur.

Itaque quia canon, seu pensio traditur in agnitionem dominii, ejus quantitas a voluntate transferentis pendet, nec rationem habeat ad fructus fundi, adeoque si accidat, ut sterilitatis, vel inundationis causa, fructus nulli sint, canon jure externo solvendus; aequitas enim naturalis postulat, ut si canon redditibus fundi amplius proportionalis non sit, ejusdem pars remittatur. Quod si fundus adeo diminutus sit sine culpa, et dolo possessoris ut fructus non amplius canoni respondeant emphyteutae jus erit a contractu recedere, et dominium utile domino re-

stituere. Si autem culpa emphyteutae vel perierit ager, vel infoecundior factus sit, Canonis solutionem, effugere non poterit, neque a contractu recedere nisi proprietarium indemnem reddat; aequum enim est, ut qui damnum dedit, illud propria reparet impensa.

Cum insuper dominium utile, jus emphyteutae sit, illud ab eo in alium transferri posse salvis domini directi juribus, non ambigitur. Cetera quae hic exponi possent de laudemio, de consensu domini in alienatione fundi emphyteutici, de quinquagesima parte pretii ei solvenda ab emptore, vel a voluntate contrahentium pendent, vel a civilibus institutis.

§. XIX.

De Feudo

Emphyteusi proximum est *feudum* et in eo tantum differt, quod primum jus sub annua pensione constituitur, alterum sub conditione mutuae fidelitatis. Feudum enim definiri potest jus praedio alieno in perpetuum, vel ad tempus utendi, quod pro beneficio dominus dat ex lege, ut qui accipit sibi fidem, et servitium aliquod exhibeat. Nomina quidem hic varia, substantia tamen contractus eadem ac in emphyteusi. Ce-

tera-a contrahentium voluntate, consuetudine, et legibus pendent, atque adeo immobilibus juris naturae regulis non subjiciuntur. Quae enim J. C. *naturalia* Feudi appellant, ut dominium utile, fidelitas in vassallo, directum vero et mutua fidelitas non adeo ex natura contractus definiuntur, ut diversa esse non possint juxta varios gentium mores, et voluntatem contrahentium. Exinde diversae feudorum denominationes, ut ligia, franca, perpetua, haereditaria, propria, regalia etc. Pendent autem ex natura contractus haec quae sequuntur: primo si dominus, vel vassallus immutatur contractus feudalis est innovandus, nisi contrarium expresse fuerit indicatum; fidelitas enim cum sit obligatio personalis, neque in alium transmitti possit successor obligationem contrahere nequit nisi promittendo. Rem insuper feudalem a vassallo alteri in subfeudum dari posse, salvis domini directi juribus, nemo dubitat; dominium namque utile potest in alium transferri. Cum denique praestanda sit mutua fidelitas, tam vassallus quam dominus jure suo naturaliter destituitur, si modum non impleat, seu *feloniam* admittat; est enim haec actio tam positiva, quam negativa obligationibus feudalibus in contractu definitis contraria.

ART. VI.

De modo quo contractae obligationes tolluntur.

Eam esse contractuum originem diximus, ut sibi quisque perfecte debitum efficeret quod imperfecte debebatur, et vel aliena beneficentia, vel mutuis praestationibus vitae necessitatibus prospiceret. Quisquis igitur perfectam obligationem contraxit nullo alio pacto fidem solvet, nisi ea praestet ad quae praestanda se obligavit, vel si mutuae sint utrinque praestationes constitutae non prius liberabitur fides, quam uterque id quod promiserat integre, perfecteque praestiterit nisi forte contrahentes se a contractae obligationis vinculo liberaverint; aequum enim est, ut quae mutuo consensu colligantur, mutuo dissolvantur dissensu, ac integrum cuique sit juri per contractum quaesito renunciare.

Nisi juri quaesito renunciatio intercesserit, obligatio contracta nullo alio pacto extinguitur nisi praestatione ejus quod debetur, quae quidem *solutio* dicitur, et quae liberationem parit si omni ex parte perfecta sit, et non tantum praestationem rei debitae contineat, sed etiam modos debendi complectitur, quorum aliquis si in solutione negligitur, id praestitum esse quod debebatur, nullo pacto affirmari potest. Itaque

pars pro toto, aliud pro alio invito creditori non recte solvitur, nisi res quae praestanda erat perierit, quo casu necessitate exigente rei aestimatio solvenda. In quo tamen, illud distinguendum censemus an fortuito, an vero culpa debitoris res debita desierit esse: primo casu nudam ac simplicem aestimationem arbitrio probi viri solvendam putamus, altero autem, quanti interest creditoris re sibi debita carere, si enim damnum ultra rei aestimationem patiatur, ut ab eo reficiatur cujus culpa datum est, aequitas postulat naturalis.

At si res fungibilis in genere debita sit, et nil dictum sit de qualitate, quaeritur quid juris. Rem autem mediae notae praestandam esse, verior sententia est, quae et praesumpta contrahentium voluntate demonstratur; qui enim ab altero stipulatur frumenti, olei, vel vini quantitatem, id quo communiter homines utuntur intellexisse, nec in vilissimam ultimi generis speciem consensisse censetur.

Tempus insuper praefinitum in obligatione spectandum est, et cum dies venerit tantum, sine mora, non autem ante diem solvendum.

Si tamen dies statutus in debitoris gratiam, solutio ante diem legitima, quisque enim potest utilitati suae renunciare; si autem diem praefinitum esse constat in creditoris gratiam, non prius solutio fieri potest, nisi in id creditor consen-

serit; nemini enim invito jus auferri potest. Quod si nulla temporis determinatio facta fuerit, creditori quovis tempore petendi jus est; debitori solvendi obligatio. Si autem arbitrio debitoris committatur solutio, non prius creditor praestationem potest exigere quam post ipsam debitoris mortem. Quam obligationem, et solvendi onus debitor transmisit haeredi, qui statim post debitoris mortem potest conveniri. Quae de tempore solutionis disseruimus de loco etiam intelligenda sunt. Nisi locus adjectus, ibi solutionem faciendam esse constat, ubi contracta fuit obligatio.

Cum solutio sit praestatio ejus quod debetur, ei autem tantum debetur cum quo contracta fuit obligatio, qui creditor dicitur, creditori tantum solutio facienda, vel iis qui creditorem legitime repraesentant. Quamvis autem regulariter is solvat qui debet, attamen cum creditori nullum aliud sit jus quam creditum exigendi, quisquis vel sponte, vel a debitore jussus solvit aeque liberat debitorem.

Si quis cum dies solutionis venerit, id non praestat, ad quod praestandum se obligaverat, per vim etiam ad solutionem jure cogitur: non prius tamen vis inferenda quam debitor interpellatus, dolo vel culpa sua recusaverit, vel detrectaverit solutionem; a die enim interpellationis creditor manifeste declarat re sibi debita

egere, ac damnum sibi illatum iri ex dilata solutione. Exinde *mora* contracta dicitur, adeoque obligatio oritur indemnem creditorem praestandi.

Æstimatio damni in statu naturali apud creditorem est; in civili aut usurae legitimae debentur ob moram, aut id quod interest arbitrio probi viri aestimatur. Mora autem purgatur, et usurae cessant, simul ac solutionem reipsa offert debitor. Reali oblatione interposita, solutio facta dicitur, et ab obligatione contracta debitor liberatur, licet rem oblatam creditor acceptare recuset; ipsi enim imputandum quod usu rei suae diutius carere voluit.

Hactenus de naturali praestatione ejus quod debetur diximus. Liberatur tamen debitor si is cui debet, vel juri suo renunciet omnino, vel quocumque pacto debitorem a contracta obligatione liberet. Frequentioribus liberandi debitorem modis sine naturali ejus quod debetur praestatione, sua J. C. nomina propria affinxerunt, certasque praescripserunt juris regulas. Nobis ea indicasse sufficiet, quandoquidem et obligationes, et jura contrahentium et ab eorum voluntate pendent, et traditis jam regulis facile ponderantur. Itaque liberatur creditor iis etiam modis quos sequenti indicamus articulo.

ART. VII.

De Acceptilatione, pacto liberatorio, confusione, compensatione, novatione, et delegatione.

Acceptilatio est creditoris declaratio, qua indicat se pro accepto tulisse quod alter solvere debebat; *Pactum liberatorium* autem est itidem declaratio qua Creditor significat, se nunquam in posterum petiturum esse quod alter debet. Vix altera ab altero naturaliter, et quoad substantiam differt; in utrisque enim remittit creditor jus suum, ac spondet, se nolle ut debitor praestet id ad quod praestandum obligabatur. Si debitor acceptet, jam actus expletus, et liberatio perfecta.

Est etiam quaedam imaginaria solutio, quam J. C. *confusionem* dicunt, cum nempe in eamdem personam jus stipulantis, et promittentis venit, velut si creditor debitoris, vel debitor creditoris adierit haereditatem; cum enim nemo apud eumdem pro eodem obligatus manere possit, praecedens obligatio extinguitur, saltem pro parte qua succeditur cum nemo esse possit sui ipsius et debitor, et creditor eodem tempore; Confunditur igitur obligatio, vel potius tollitur. Extinguitur eodem modo obligatio, si

is cui aliquid in specie debetur a me praestandum, idem in specie mihi debere incipiat, ex quo enim cepit utrinque deberi, mutuae obligationes ipso jure perimuntur, et *compensantur*. Itaque si debitum non idem sit quod ad omnes modos, nullo pacto compensari potest.

Novatione etiam quis se a contracta obligatione liberat: est autem *novatio* obligationis contractae in alterius generis, vel modi obligationem, creditoris et debitoris intercedente consensu, facta permutatio. Si igitur cum debitore consentio fiat ut pro centum aureis debitis, operam suam determinato quodam modo praestet, novatio habetur. Quare debitoris et creditoris consensu novatio perficitur, et conditione oblata, factaque acceptatione, antecedens obligatio extinguitur, novaque consensu contrahentium emergit.

Itidem imaginaria solutio est *delegatio* cum nempe creditor pro praestatione sibi debita, jus eam exigendi ab alio, in solutum accipit ac primum liberat debitorem; permutat scilicet jus exigendi id quod sibi debetur ab uno cum jure idem exigendi ab alio, qui *debitor delegatus* dicitur. Ad delegationem perficiendam tres personae accedant oportet, creditoris, qui promittit se vice praestationis debitae, jus et actionem eam a delegato exigendi, in solutum accepturum, delegati, qui spondeat se delegantis debitum soluturum; debitoris tandem, qui

eo pacto potius quam actuali rei debitae praestatione se a contracta obligatione liberari consentiat. Itaque solvisse censetur debitor, quandoquidem si non quod debuit, saltem quod creditoris aestimatione idem habetur solvit, etiamsi debitor delegatus solvendo non sit; non enim deleganti, sed creditori imputandum, quod in eam permutationem consenserit, ex qua damnum patitur, dummodo fraus, dolus, et calliditas omnis a delegante abfuerit; nam si dolo malo delegans, creditorem suum deceperit, et decoctorem delegaverit, idoneum asserens utroque jure creditori satisfaciat oportet; damnum enim non creditoris negligentiae, sed ejus dolo tribuendum, cujus obligatio perfecta erat ut verum eloqueretur.

Cum per se delegatus vix ab expromissore distet, nil refert, an debitor sit delegantis; sibi enim cuique novam imponendi obligationem naturalis facultas est. At si quis alienum debitum soluturum creditori promiserit, putans tantumdem a se debitum deleganti, si postea errasse, nihilque deleganti se debere compererit, poterit ne a promisso recedere, vel quod jam solvit condicere? Negativa sententia verior est; quamvis enim errantis promissio invalida sit, cum error caussam promissioni dederit; attamen damnum errore vincibili illatum reparandum. Cum igitur

qui debiti sui opinione delegari passus est, ni promissum servet irreparabile damnum creditori inferat, qui nec regredi ad primum reum, nec a delegato suum recipere posset, in collisione aequum est, ut potius damnum patiatur is, qui collisioni locum dedit, et qui poterat, debebatque rationes suas diligentius supputare, quam qui fidem delegati sequutus nec novisse poterat, nec debebat an error promissioni caussam dederit. Poterit tamen delegatus a delegante indebite solutum repetere.

ART. VIII.

De Interpretatione

Fidem in contractibus servandam esse, multoties innuimus: at quoniam verbis contrahentes mentem suam explicant, nec ea quid firmum et immobile tum ob utentium defectum, tum ob sermonis egestatem significant, saepissime accidit, ut controversia de promissionis quantitate, et duratione suboriatur cujus aliquando difficillimum est judicare.

Itaque cum neque promissori, neque promissario jus sit verborum sensum interpretari, cum nemo judex esse possit in propria causa, in id contrahentes praesumuntur consensisse, ut

exorta controversia judicetur juxta eas interpretationis regulas, quae ab omnibus sunt necessario admittendae, quae scilicet rectae rationi consentaneae sunt, atque idcirco possunt demonstrari.

Quare prima lex sit, verba intelligenda esse ex communi, et vulgari significatione, a qua non recedendum, nisi validissima rationum momenta suadeant, contrahentes a communi verborum usu, et significatione recedere voluisse. Cum enim uterque contrahens , et verum eloqui, et mentem suam clare expromere teneatur, idque fieri nequeat, nisi per verba, quae communiter intelligantur ex vulgari significatione, sequitur, utrumque eo pacto verbis uti debuisse. Quare si praecedente tempore verborum significatio sit immutata, quis esset eorum communis sensus tempore contractus est inquirendum. Mentales ergo restrictiones illicitae, nulloque pacto admittendae, quippe quae adversantur veracitati , et obligationi se clare exprimendi. Cum insuper omnium artium fere commune sit, ut suis verbis utantur, quae publica , et vulgaria dici nequeunt , *Technica* verba ab artis illius peritis explicanda.

Altera autem lex est, ut si quando accidat, ut in contractu, vel lege, homonymia, vel amphibolia sit, ea seligenda sit, quae materiae de qua agitur aptior videtur. In fide namque quid senseris, non quid dixeris est cogitandum, atque adeo mens contrahentium quaerenda. Cum igitur

quisque antequam externa signa eligat, ideas in mente habuisse praesumatur, quibus externa signa respondeant, in verborum electione praesumitur ea selegisse, quae ideas materiae de qua agitur magis accomodatas repraesentant. Cavillationes igitur, dicti nempe, aut facti interpretationes, quae nullam subjectae materiae rationem habent, et interpretis malam fidem arguunt, penitus rejiciendae.

Tertia lege asseritur, interpretationem quae aut manifestum absurdum aut nullitatem actus induceret non esse admittendam. Cum enim omnium hominum officium sit, ut perfectam, quoad fieri possit actionum rectitudinem quaerant, et ut nihil temere agant, praesumendum nullo pacto est, contrahentes, aut quod absurdum est voluisse, aut in id consensisse, quod nullo pacto exitum habere potest.

Quarta lex est, ut si verba prius adhibita subobscura, posterius de eadem re manifesta fuerint, ita sit interpretatio instituenda, ut obscura per manifesta explicentur. Cum dilucide patet quid voluerint contrahentes, non praesumuntur voluntatem immutasse, nisi id manifeste indicent: at in hypothesi, alicubi de contrahentium mente perspicue constat, ergo et idem voluisse, cum obscure loquuti sunt, praesumuntur.

Quinta lege statuitur, quod si ratio pateat, quae contrahentis voluntatem movit, omnia sint

interpretanda, ut cum ratione illa conveniant. Id tamquam axioma assumi potest; nam ea voluisse, quae cum ratione voluntatis pugnant, absurdum omnino est.

Si ergo sint, quae voluntatem moveant, rationes, animadvertendum an omnes simul sumptae, an singulae per se voluntatem inflexerint, et interpretatio eo pacto concinnanda. Quod si verba laxiorem, aut strictiorem significationem habeant, ea erit eligenda, quae rationi voluntatis magis accommodata videtur. Atque adeo si mente et consilio contrahentis, aut imperantis liquido constat, verborum sensus interpretari debet eo pacto, quo uterque ea interpretaretur, si ad emergentes circumstantias animum advertisset; nemo enim sermone, aut scripto omnia potest amplecti. Quamvis tamen interpretatio menti, et consilio contrahentium respondeat oportet; attamen si quid exinde emergat, quod naturali legi contrarium sit, id excipiendum omnino; nemo enim praesumitur, ea, quae naturali aequitati adversantur, voluisse. Si igitur pactum, aut lex cúm naturali lege collidatur, lex naturalis etiam contra manifestam verborum significationem servanda est; eam enim fuisse vel jubentis vel promittentis mentem, si de ea re cogitasset, recte praesumitur.

Sexta lex jubet, ut in collisione pactorum, quae quis de eadem re cum diversis iniit, priora

in tempore posterioribus anteponantur. Cum nemo obligari possit ultra moralem facultatem fieri nequit ut qui aliquid praestare tenetur alicui certo tempore, id eodem tempore praestet alteri, ergo cum altero de eadem re contrahens exceperit oportet collisionis casum. Primo autem non alteri praestare, quod promisit, tenetur, quia obligatio cum primo absoluta, cum altero nonnisi conditionata esse poterat.

Septima lege monemur, quod si praestationes duarum rerum, quas quis eidem promisit collidantur, ea praestanda sit, quae utilior promissario videtur. Qui enim sibi alterum obligat, utilitatis suae rationem habet; praesumitur igitur, ut promissarius in collisione, id, quod melius, utiliusque sibi est, praestari voluerit.

Lege denique octava statuitur, interpretando attendenda esse potius verba conditionem accipientis, quam offerentis. Cum enim nemo ultra voluntatem suam obligetur, promissoris verba obligationis quantitatem definiunt, non ejus, qui conditionem obtulit.

PARS TERTIA

DE JURE GENTIUM

De homine in omnibus conditionibus constituto hactenus verba fecimus, in quibus natura eumdem collocavit, ejusque obligationes, et jura enumeravimus, ea omnia ad aeternae justitiae normam componentes, et initio facto a primaevo naturae statu, gradatim ad civilem societatem deducti sumus, quod opus coeterorum omnium pulcherrimum est, et difficillimum, et si quando ad perfectionem redigatur pene divinum. Si una totius humani generis societas civilis esset constituta nil fere expositis naturae legibus addendum; universae enim Jus Gentis, facile ab expositis principiis deduceretur. At una tantum societas, unumque inter homines civile imperium, forsan impossibile, quandoquidem homines moribus, ingenio, indole, viribus, vitaeque necessitatibus differunt juxta climatum, ut ita dicam diversitatem nec felicitas, civitatis objectum, iisdem constat ubique elementis, quae ab una legumlatione, unoque imperio peti possunt.

Sed quid factum sit, non quid fieri possit inquiramus. Illud certum est, ab antiquissimis usque temporibus in distinctas politicas societa-

tes divisum genus humanum, quibus omnibus tamen idem consilium, ut felicitatem sibi collatis viribus compararent. Civili societate constituta, nullum cum coeteris hominibus, nisi naturale vinculum; nulla enim est erga alios praeter naturales, obligatio, nisi ex consensu, atque adeo jura, et obligationes Gentium inter se, una moderatur lex naturalis, nisi in novas obligationes sponte consenserint.

Quapropter expositis naturae legibus, nil ultra addendum videretur; quippe Jus naturae cum jure Gentium quodammodo confunditur; attamen de eo dicere et utile, et necessarium; nam quamvis alterius Juris fundamentum in altero sit constitutum, attamen singularis homo, ad quem praecipue Jus naturale pertinet, ita a morali persona, sive Republica differt, ut quamvis leges eaedem sint, eas tamen novo, diversoque objecto aptare interdum difficillimum. Regulae ab jure naturae desumuntur, cujus recta ad actiones populorum applicatio *Jus Gentium* dicitur; atque adeo Jura, et obligationes juris Gentium tam erga se, quam erga alias ab uno ipso purissimo juris naturae fonte derivandae sunt.

Incongrua igitur omnino divisio in Jus Gentium *voluntarium*, et *necessarium*, quasi aliquid Gens Genti debeat ex tacito quodam consensu. Primus hanc opinionem invexit Grotius, cui caussam errandi Jus Romanum praebuit, cui et sua

aetate, et hac nostra maxima semper fuit auctoritas, nec multum ab ea sententia Wolfius discessit, quamvis Juris sui voluntarii fundamentum aliunde petierit, quam ab exemplis, et consentiente Gentium judicio. Is enim Gentes omnes in quamdam civilem societatem coivisse mente concepit, eamque *civitatem maximam* appellavit: inde juris voluntarii originem ducendam esse ait, per quod nonnulla, quae ab jure naturali recedere videntur ab omnibus Gentibus aeque servantur, nec violantur sine alterius injuria. Verum hoc non tacito populorum consensui, sed legi necessitatis tribuendum. Quamvis igitur de Gentium moribus disserere nemo possit, nisi Juris Publici universalis notitia praecesserit; nos tamen generica Juris Gentium principia declarabimus, nulla habita ratione ad ea, quae vel diversas regiminum formas, vel peculiaria uniuscujusque Gentis instituta respiciunt.

CAPUT PRIMUM

De officiis Gentium erga seipsas.

ART. I.

De Gentium conservatione, et perfectione.

Conservatio, et perfectio sui ipsius, Gentibus naturali lege praecepta: hoc primum omnibus officium impositum, ex quo coetera omnia dimanant; si enim civilis societas jubente natura introducta, ut quam quisque non poterat, plures collatis viribus felicitatem compararent, societatem ipsam conservandam, et perficiendam naturam demandasse dicendum est.

Gentis *conservatio* in eo potissimum sita est, ut in prima civili consociatione firma, et integra perseveret: si bello vastata, aut civili discordia agitata vel sponte, vel invita alienum imperium subit extinguitur, nomen et majestatem gentis amittit; nulla enim gens, nisi summo imperio fruatur. Quare perfecta Gens dicitur, in cujus potestate ea sunt omnia, quae ad consequendum objectum civitatis sunt necessaria. Quae igitur Gens, aut cives regere, aut injurias arcere propriis viribus non potest, perfecta dici nequit;

ipsi enim necessaria media desunt, quibus civitatis finem consequatur.

Ad ea igitur omnia Gens jus habet, sine quibus se conservare, et perficere non potest; quapropter, si felicitas et securitas publica objectum civitatis constituunt, perfectio Gentis in aptitudine ad illum assequendum sita erit, atque adeo hic videretur exponendum quibus mediis, quod sibi proposuit Gens, consequi possit; verum cum non iisdem elementis omnium populorum felicitas constet, cumque ab internis externisque injuriis se tutam praestare diverse gens possit, ad specialem cujusque gentis politicam ea spectat docere.

Sed civitatem vel Gentem se perficere non posse constat, nisi se ipsam, populosque conterminos probe noverit, et sollicita indagine concivium indolem, numerum, mores, ingenium, vires inquirat; regionis, quam colit, naturam, foecunditatem, culturam, situm dignoscere curet; quae enim ignota sunt non solum non perfici, sed ne custodiri quidem possunt.

Illud igitur summi Imperantis primum officium est, ut Gentem suam optime noscat, proprias vires dimetiatur, et quid conterminae gentes valeant ac meditentur, assiduo studio scrutetur.

Cum insuper gens singularibus constet individuis, ex singulorum perfectione universae

gentis perfectio conficitur; curabit ergo, qui civitati praeest, ne quis in ea sit ab omni opere solutus, et otiosus omnino, qui bona societatis in propria commoda, vertat, nulla operarum retributione. Otiosi autem esse possunt vel privato vitio vel publico: si primum corrigendi, ac puniendi, et expellendi etiam a societate; emolumenta enim civitatis usurpant, qui nihil in ea conferunt; si alterum, leges emendandae.

Alterum officium ex naturali se perficiendi lege derivatum, et genti impositum illud est, ut diligentissime curet, ut quisque in civitate perfecte munere suo fungatur, ad quod et legibus coguntur, et honoris stimulis, et amore Patriae cives excitantur; altera autem via planior ad diligentiam, et studium civium assequendum, perfectio enim nulla sine labore, nullus labor sine sensu molestiae, quae difficile admodum metu poenae toleratur.

Si enim aliquando vitare poenam possit, jam naturali ignavia vincitur homo; aliquid igitur sit oportet animo insitum, quod labantem erigat, ac molestiam convertat in voluptatem quod quidem amor Patriae, et laudis amor efficit. Exinde apud nonnullas gentes artificia fere omnia ad perfectionem perducta, quae, civitati non exiguum quaestum afferunt, accepta referenda partim legibus, partim principiis, quibus puerilis aetas informatur, quae cives postea ita moratos effi-

ciunt ut non tantum privatum emolumentum, sed et suae gentis honorem propositum habeant.

ART. II.

De Gentis vitae conservatione, ubi de Commercio.

Felicitas publica nulla esse posset, si necessaria ad vitam sustentandam, ac jucunditer ducendam desint, quae per *commercium* internum et externum comparantur, utrumque ergo erit a gentibus promovendum.

Internum commercium dicitur, quod provincia cum provincia, regio cum regione ejusdem gentis exercet per rerum et operarum commutationem; *externum* quod gens exercet cum gente. Utrumque naturali jure demandatum esse dubitandum non est, si huc revocentur, quae de communicatione rerum, et operarum inter homines disseruimus; quod autem ad internum attinet, eo magis illud exercere cives ejusdem gentis jubentur, quo arctiori vinculo ad rerum omnium communicationem obligantur.

Commercium autem externum hypothetice a natura praeceptum; si enim soli ubertas, ac civium industria omnia suppeditet, quae ad perfectionem mentis sufficiant, si nihil sit, quod

gentis indigentiae supersit, jam externi commercii objectum, et subjectum nullum est. Si secus, commercia externa exercenda, tum ad comparanda ea, quibus gens indiget, tum ad vendenda, quae supersunt: alterum enim civitatis objecto respondet, alterum gentis divitias auget, quas elementum esse diximus perfectionis status externi, habita tum privatorum, tum gentis universae ratione. De commerciorum jure alibi dicemus.

ART. III.

De gentium divitiis, earumque aestimatione.

Dives gens dicitur, quae praeter rerum omnium ad vitae sufficientium abundantiam, et praeter pecuniam commercio exercendo, et Reipublicae administrandae necessariam, auri et argenti summam aliquam habet, quam, si opus sit, in publicos usus convertat. Animadvertendum tamen est, pecuniae ejusmodi summam apud multos particulatim, quamvis non aeque divisam esse debere, ut gens dives dicatur, nam si unus, vel alter pecunia numerata redundet, coeteri vero vix habeant, unde vitam sustentent, gens dives dici non potest; non enim personae morali id jure tribuitur, quod non majori individuorum componentium parti tribui aeque possit. Illud

etiam animadvertendum, quod terrae, vel industriae fructus, si vel etiam indigentiam gentis superent, non tamen eam divitem constituere: ii enim servati corrumpuntur, et pereunt, adeoque gentis divitias ex una superfluenti pecunia existimandas esse patet.

Nullo igitur pacto divitias comparare gens poterit, quam externi commercii exercitio; eo nempe pacto terrae et industriae fructus cum aliena pecunia permutantur; quare nullae divitiae, ubi nullum commercium. Hoc autem triplex est aequale, activum, passivum: *aequale*, si merces cum mercibus, *activum*, si merces propriae, quo nomine tum terrae, tum industriae fructus veniunt cum aliena pecunia, *passivum*, si pecunia propria cum alienis mercibus permutatur. In altero ditescit populus, in tertio ad inopiam vergit in dies; quapropter illud est gentis officium, ut perpetua curet vigilantia, ne ullum aliud apud eam commercium sit, nisi activum. Quod quidem facile assequetur, si per leges, et praemia proposita, agrorum culturam, omnigenamque industriam excitet, et alienarum mercium nimiam libidinem, et non veram earum indigentiae opinionem emendet. Quapropter civitatis rectori jus erit, commercium externum ita legibus temperandi, ut nullum exinde populus detrimentum patiatur sine ulla exterarum gentium laesione, quod infra clarius apparebit.

ART. IV.

An gens sub alterius Patrocinio summum habeat imperium.

Si vel ob civium paucitatem, vel ob exiguitatem territorii finitimarum gentium potentiam, vel aliam ob causam se gens aut servare, aut ab externa injuria tueri propriis viribus non valeat, potentiori accedere ejusque patrocinium, et praesidium inito foedere comparare sibi posse manifeste patet. Si patrocinium concessum, ut inferior aliquid invicem praestet, utriusque obligationes, et jura mutuae promissiones dimetiuntur, a quibus recedere nefas.

Quaeritur tamen an si populus alter alteri praesidium, et tutelam, alter vero vel imperii reverentiam, vel operam, vel annuum tributum polliceatur, majestatem amittat, et a summo cadat imperio. Vix dubitandum arbitror eum summo imperio potiri, apud quem jura majestatis illaesa supersunt, quamvis inaequali foedere teneatur; nam dummodo in interna, externaque administratione a nullius arbitrio pendeat, parum interest, quod se alienae opis indigentem fateatur, et potentiori populo reverentiam, aut patrocinii pretium operam, vel annuum censum promiserit: confessio quidem infirmitatis aliquid

de dignitate detrahit, imperium summum non attingit. Ejusmodi foederum inaequalium exempla et vetus et recens historia suppeditat, ad quod genus publica referri possunt, quae olim in imperio Germanico locum habebant.

Si vero non tantum infirmitatem populus, inito cum potentiori inaequali foedere, fateatur, sed in eum etiam aut nonnulla, aut omnia majestatis jura transferat, aut summum imminuitur imperium, aut interit omnino. Primo enim casu populi sub umbra foederis servitutem patiuntur, altero vero nec vana libertatis species superest, et populus sive gens omnino extinguitur.

Posteriori insuper casu societas dissolvitur, et civi cuique integrum est novam patriam quaerere; novum enim imperium subire invitus cogi non potest. Ceterum si foedus inaequale sit, at sine summi imperii imminutione, haberi potest velut mutua promissio; quae mutuo consensu dissolvitur, et si alter fidem violet, alterum a promissione servanda liberat, nisi jus perfectum sibi quaesitum per vim, et publico bello velit vindicare.

Eodem argumento ostenditur societatis jura dissolvi, si populi pars, aut Regni provincia indefensa deseratur; naturale enim jus reviviscit tum ob necessitatem, tum ob denegatam tutelam, aut ob defensionis impotentiam.

ART. V.

De Dominio, et Imperio Gentis.

Nomine gentis summum imperium constitutum intelligimus, quod jus cum personas per se respiciat, esse potest etiam sine proprie dicto dominio, ut apud Nomadas populos, qui pascendis gregibus huc illuc vagantur, nec stabiles sedes habent, solo creatarum rerum usu contenti.

Itaque vel ex familiis agricolis proprios agros particulatim possidentibus coaluit, vel facto quasi impetu, vacuam terrae regionem occupavit. In primo casu gentis imperium et dominium veterum familiarum possessionibus circumscribitur; in altero autem eo usque progreditur, quo manifeste patet, regionem occupatam fuisse, et primaevae communioni facto et industria, non verbis tantum subtractam.

Ubi dominium, ibi gentis imperium; quamvis enim ad personas idem referatur, omnes tamen occupatae regionis partes afficiat oportet. Regio per universitatem occupata, gentis *Territorium* dicitur, in quo et summi imperii, et publici dominii jura, nemine contradicente exercet, ita vel a *terrendis* hostibus appellatum, ut placet Varroni, vel a *terra* derivatum ethymon,

ut asserit Servius a *terendo*, quasi terra bobus, et aratro trita gentis sit territorium.

Cum eadem sit publici, et privati dominii origo, eam occupasse terrae partem gens intelligitur, quam propria incolere industria possit, cujusque fructus et praesenti, et futurae indigentiae sublevandae sufficiant; et quamvis quisque suae indigentiae judex sit, fines aliquo pacto regantur oportet, ne quid inutile, et infructuosum cum humani generis propagationis detrimento supersit. Cum ergo quaedam sint, quae sponte a natura feruntur, ut prata, nemora, sylvae, quae pabula gregi et armento praebent, ea occupata censentur quo in pascuum mittuntur pecudes; ipsa enim utendi necessitas industriam supplet, et jus parit dominii. Cum tamen ea loca laboris humani non praebeant indicia, signis notentur necesse est, quae actualem usum, ejusdemque necessitatem indicent, ut aliae gentes ab eorum dominio abstineant. Eodem argumento ostenditur, quod si quae sint territorio inclusa, nec securitatem obtinere gens possit, nisi coeteri omnes ab earum usu excludantur, ea quodammodo occupata esse censenda, et a primaeva communione sublata; lex enim, quae securitatem consulendam imperat, ea media suppeditat, sine quibus legi obtemperari non potest. Itaque flumina, et lacus, qui in territorio gentis sunt, quoad integritatem in dominio sunt Gentis illius, licet

ut aqua profluens , vel stagnans occupari non possint, neque enim propriae fiunt aquae, nisi a quo hauriuntur.

Si in partes dividitur occupatum a Gente solum, et unicuique sua pars tribuitur, assignatae partes *res singulorum* dicuntur, quae vero non singulis viritim, sed universitati alicui assignantur *res universitatis*, quarum proprietas in universitatem translata est, usus vero in singulos eam componentes; quae denique in gentis dominio sunt, *res publicae* nuncupantur. Coetera, quae in territorio inveniuntur, et occupari nequeunt ad communionem pertinent primaevam, atque communes sunt.

Rebus igitur universitatis, qui ex ea sunt, uti, et frui debent, salva earum substantia, nisi forte res ipsae usu consumantur et pereant, ut gramen a communi prato divulsum, aut ligna caesa ex communi sylva. Cum autem harum rerum usus ad universitatem, seu gentem pertineat, quae personae morales sunt, et individuorum morte non extinguuntur, sed per succedentium seriem continuantur, qui praesentem universitatem constituunt, rebus suis utantur oportet, ut nullum futuris detrimentum afferant: quare nullum universitati jus communes res alienandi, nisi id vel evidens utilitas, vel necessitas suadeat.

Cum insuper usus genti concessus sit nemi-

ni communibus rebus ita uti licebit, ut coeterorum usui impedimentum afferat, nisi res ejus naturae sint, ut usum promiscuum non patiantur. Si quis enim prior usum occupat, coeteros omnes jure excludit, ut accidere solet in haustu aquae ex puteo, aut fonte communi vel publico.

Cum jura omnia in summo Imperante sint, res publicae ejusdem dominio subjiciuntur. Quare si communi bono expedire videatur rerum tam publicarum, quam ad universitatem spectantium usum gentis Rector legibus temperat. Quaeritur autem, utrum eidem populi partem, sive regni provinciam exterae Genti cedere, et ejus imperio subjicere jus sit. Distinguendam quaestionem arbitramur.

Si quaeritur an summo universae Gentis didiscrimine, ut maximam populi partem servet, fidem obligare possit, se renunciaturum imperio alicujus provinciae, neque eam ab externa vi defensurum, id valere dicimus: in societate enim omnes singulis tutelam, et protectionem quidem promisisse censentur, excaepto tamen necessitatis casu, ne scilicet unius defensio coeteros omnes perdat, inutilique conatu, et pars defensa pereat, et totum corruat corpus; si autem cessionem cum parendi obligatione connexam asserunt, ita ut indefensus populus novum subire imperium jure debeat, negamus iis innixi argumentis, quibus demonstravimus apud desertam, et in-

defensam provinciam naturalem adeo reviviscere libertatem, ut saluti suae consulere ex sententia possit, adeoque novum detrectare potest imperium, cui nullo jure subjicitur, nisi aut tacite, aut expresse in id consenserit.

Cum omnia, quae intra fines territorii occupati, dominio et imperio gentis subjiciantur, non excipienda flumina, aut lacus supra monuimus, qua nempe flumina, et lacus dicuntur, non qua stagnans, aut profluens aqua; aquas enim proprias non fieri diximus, nisi a quo hauriuntur. Nec objiciendum puto, et lacus, et flumina in naturali adhuc esse statu, et adeo humanam industriam eludere, ut nullum praeseferant humani laboris indicium, quod quidem praecipuum proprietatis characterem esse diximus; praetermisso enim validissimo quod attulimus, a securitate Gentium deducto argumento, negamus primum, et lacus, et flumina qua talia, humanam omnino eludere industriam, quippe multoties et moles in flumen aut lacum injicitur, et ripae magnis sumptibus muniuntur, vel ut angustiori loco contineantur aquae, vel ne alio fluere incipiant et sata inundent, vel ut statio, iterve navigio commodum sit. Huc secundo accedit quod circumcolentes cives et flumen, et lacum inclusum quasi custodia saepiunt, et satis indicant, se ad sufficientiam vitae, et securitatem civitatis et flumine, et lacu indigere, atque adeo

a communione primaeva utrumque sublatum, quae quidem omnia pro occupatione inter Gentes esse debere panlo ante monuimus.

Difficilior quaestio est de imperio, et dominio fluminis si utrimque duos populos disterminet, et eorum ad utramque ripam jaceant territoria.

Omnis controversiae solutio a modo et origine primae acquisitionis dependet; si enim absque dubio constet populum unum altero citius et territorium prope flumen, et flumen ipsum occupasse, aut si diu flumine tamquam proprio usus est, ita ut coeteros omnes ab ejus usu excluderet, et populus in altera ripa imperans hujus juris exercitium longo tempore passus sit primi quidem imperio, et dominio flumen accedet. At si neutrum ostendi possit et contentio de imperio fluminis inter utrosque riparum dominos oriatur, preesumptioni fit locus, et cum neutrius potiora sint jura, eodem tempore occupationem factam esse praesumitur, et utriusque dominium ad medium flumen pertingere. Quod de flumine diximus, idem de lacu intelligendum esse patet.

Si in dubio, utriusque populi imperium, fluminis medictatem attingat, flumen autem adversas ripas corrodat, oppositisque ripis passim per alluvionem terram adjiciat, idem flumen esse videtur, nec veterem speciem amittit, suique

medietate populorum imperia distinguit, atque adeo alluvionis incrementum in ejus populi dominio est cujus ripis accessit. At si facto impetu alio currere coepit flumen, et alveum dereliquit, mutatur imperii terminus, et qui medietatem fluminis qua fluminis, qua non aquae fluentis limitem habebant, alvei medietate separabuntur, linea scilicet illa, quae medium alveum secat; flumen autem ad eum populum pertinet, intra cujus territorium fluit.

Si vero flumen non utriusque oppositas ripas interfluit, sed e superioris gentis territorio in inferioris terras se exonerat, utraque Gens imperium, et dominium in ea fluminis parte habet, quae intra fines est territorii. Quare populus qui superior est eo pacto utatur flumine oportet ut inferioris navigationem, et piscationem deteriorem non reddat, multominus aquam derivare, aut quid moliri quo usus in inferiori parte corumpatur vel difficilior fiat.

Idem intelligendum est de limitropho flumine aut lacu, nam quamvis utrique populo ripas suas et munire, et reficere liceat, attamen ita fieri omnia oportet ut adversa ripa, et usus fluminis contermino populo bebitus, detrimento non subjiciatur. Si tamen salutis publicae necessitas urgeat ut nullo pacto periculo possit occurri, nisi ex. gr. alio ad tempus flumen derivetur, alter populus id patiatur oportet; damnum ta-

men resarciendum juxta regulas alibi constitutas.

Si quid tandem in flumen, ripasque immittendum quod commune utriusque populi bonum promoveat, communi consensu, communibusque impensis praestandum esse evidenter colligitur.

His nonnulla circa dominium, et imperium maris addenda necessario sunt. Celebris de dominio maris magno argumentorum apparatu disceptata quaestio, verborum improprietati, et abusui accepta referenda; ante omnia enim et mare, et dominium perspicue definire necesse erat; ne igitur nobis vitio vertatur quod in aliis reprehendimus, *mare* dicimus vastum illum aquarum sale admixtarum cumulum qui in terrae cavitatibus continetur, ejusque tam magnam occupat partem, ut aridae quae supersunt planetae hujus superficies hominum usibus assignatae veluti insulae haberi possint, vastissimo quasi innatantes pelago varioque aquarum spatio distanter inter se.

Immensa autem haec aquarum congeries quamvis eadem ubique, et continuo quasi alveo recepta, diversis tamen indicatur nominibus et juxta crateris quo continetur figuram et latitudinem. His positis si quaeritur an mare qua sub generali significatione intelligitur dominio subjici possit, et in jus proprium alicujus gentis abire, negamus; aquarum enim vastitate, et mobilitate, et invisibilis profunditate alvei, adeo humanam

industriam eludit, ut nullo labore a primaevo naturae statu illud submovere quis possit, quod tamen necessarium ad inducendam proprietatem diximus. Quaestio igitur potius inter Gentes excitata de parte aliqua maris, an scilicet privato dominio, et imperio subjici possit. Et quidem si pars maris longo intervallo a terra distet, et in altum porrigatur, occupari non posse dicimus, tum quod humana industria non possit naturalis status faciem immutare, tum quod ratio desit cur a communione primaeva removeatur, vasta enim aquarum congregatio longe a littoribus dissita, usum praebet universis Gentibus inexhaustum quod ad navigationem, expiscationem, et cetera ejusmodi emolumenta, quae quidem utpote inexhausta in commune natura posuisse intelligitur.

At si maris partem longe etiam a terra dissitam Gens classe teneat, et quasi complectatur non ambigendum, quin omnes alios ab ejus aquae usu jure arcere possit, ergo aliqua pars etiam vasti maris dominii capax est. Respondemus usum maris in ea parte occupatum, non dominium, et finito usu, aquam ad primaevam redire communionem; dominium enim, non tantum usum, fructumque actualem domino debitum significat, sed etiam utendi, ac fruendi, et quod maxime notandum est, possidendi jus, quod amissa etiam actuali possessione non amittitur, et

in alium transferri potest. Ridiculum autem, illos, quod aliquam maris partem forte diu classe tenuerint ita occupasse, ut omnes alios etiam post quam ab ea discesserint a navigatione, et piscatione excludere possint, cum vix indicare facultas sit quam maris partem a primaeva communione removerint. Nec mare igitur universum nec magna pars maris vasti a terris dissita dominii capax est, adeoque regulae, quae rerum communium usum regunt, et maris usum moderantur.

Si autem quaeritur an aliqua pars maris quae alicujus Gentis littoribus circumfunditur, aut quam territorium ejusdem undequaque ambiat, illius dominio subjici possit, id fieri posse concedimus; sinus enim aut freta ita humana coerceri industria possunt ut ejus non ambigua vestigia ostendant et a communione sublata manifeste appareant.

Huc accedit tum utilitatis, tum securitatis caussa; cum enim ejusmodi partis usus non sit inexhaustus, nec innoxia multoties ceterarum gentium per eas aquas navigatio

ART. VI.

De Gentium propagatione, ubi de Patria.

Qui determinatam quamdam societatem primi constituerunt, non sibi tantum prospexisse, sed futurae quoque familiae consulere voluisse praesumuntur, ut ex ipsius civitatis objecto deducitur, quod assequi nullo pacto fas esset, ni civitas per quamdam perpetuam seriem successorum reviviscat, et in eodem statu permaneat. Quae autem civilis societas quae in dies languescat, et brevissimo temporis spatio extinguatur? Quare ex ipsa civitatis natura, civium filii ad civitatem pertinent, et in jus Patris succedunt iis ab eodem quaesitum. Itaque sobole propagatur, crescit, augetur Respublica, et Civitas a parentibus sola generatione transmittitur filiis, nulla habita nativitatis loci ratione, dummodo parentes jure civitatis fruerentur. Ad civitatem autem pertinent Cives extra territorium positi, donec jure suo aut tacite, aut expresse renunciaverint. Tacite quidem cum alio, facto, et animo domicilium transferunt; diuturna enim in alieno territorio civis commoratio, studiorum, valetudinis, commercii, militiae causa renunciationem non arguit, nisi secus sit legibus constitutum.

Si quis igitur in alieno territorio moratur, non civis, non indigena, sed incola dicitur aut peregrinus, ejusque filios Patria quasi cives sibi vindicat; Patria enim juxta primogeniam nominis significationem, territorium gentis illius dicitur cui politicae societatis vinculo parentes obstringuntur, quamvis vulgari sermone territorii pars, in quo parentes habuerant stabile domicilium filii *Patria*, societas autem universa ad quam parentes pertinent, ejus *natio* dicatur. Si quis tamen alio domicilium transferat animo ibi perpetuo commorandi, vel quid admittat, quo jure Civitatis in poenam privetur, novam civitatem, novamque patriam sibi comparare potest in alieno territorio, si Gentis ad quam accedit leges permittant. Cum tamen difficile sit ab externis tantum factis peregrini, vel novae incolae animum colligere, et interpretari, fere ubique leges constituunt intra quod temporis spatium animus praesumatur, ut quis ex incola et peregrino, indigena, vel civis fiat. Quae igitur abunde disseruntur ab J. C. circa domicilium, sunt potius ejusmodi legum interpretationes, quam regulae a naturali jure deductae, quae peregrinis, et incolis in genere aptari possint, ut ad novae Civitatis jura admittantur; quamvis enim aliquando fortasse colligi possit ab externis indiciis, eum de quo agitur patriae suae renunciasse; non tamen exinde patet in nostram

coire voluisse societatem, simplex enim habitatio et permansio in alieno territorio, licet diuturna animum novae ineundi societatis nec perspicue, nec necessario significat.

Si amor et benevolentia erga omnes praecepta; si in praestatione officiorum praeferendi qui praecipuis nos devinxerunt beneficiis, ambigendum non est, Patriam prae ceteris omnibus Gentibus diligendam, iisque praeferendam in collisione officiorum, tum quod ei praesidia vitae, fortunaeque nostrae debemus, tum quod nemo felix esse possit, si Patria oppressa, et misera sit. Cum igitur amor nil sit quam alienae felicitatis desiderium, coeco quodam impetu in Patriae dilectionem rapiaris oportet, quandoquidem cum tua ipsa beatitudine, Patriae felicitas tam arcto vinculo conjungitur. Cavendum tamen est ne Patriae amor in furorem quodammodo convertatur, et ita civium animos pervadat, ut omnia in ceteros homines licita arbitrentur, quae Patriae gloriam, opem, potentiam augere possunt; non enim Patriae tantum, sed hominum omnium causa generatos esse homines constat, ut mutuis officiis communem omnium conciliationem colant, tueantur.

Optimus ergo erit Civis qui ita se Patriae suae devovet, ut in officiorum collisione eam perpetuo praediligat, in ceteris non tantum Patriae, sed totius humani generis propositam habeat fe-

licitatem, quo enim latius hominis beneficentia diffunditur, eo major virtus, eaque pene divina quae non cives tantum, sed univerrsum complectitur humanum genus.

At quamvis Patria officiis omnibus praestet, quaesitum tamen est, an civi jus sit e Civitate in perpetuum discedere, venia a sociis, sive summo Imperante non impetrata, aliamque sibi Patriam adsciscere. Nos id licere dicimus, dummodo societatis intersit; nam quamvis ad indefinitum tempus, inita sit societas, attamen in id consensisse praesumuntur omnes a nemine singulatim ceterisque invitis dirimendam, si ex ea discessione societas detrimentum patiatur, nisi id latis postea legibus satis vetitum sit invito imperante Patriam deserere. Si tamen societatis jura erga aliquem socium, vel sociorum partem reliqui violaverint quin licita sit eorum a Patria dicessio, nulla etiam habita aut legum, aut detrimenti ratione vix dubitandum, qui enim primus datam fidem non servat, alterum a contracta liberat obligatione.

Ex ipsa emigrationis causa, et indole seqnitur jus civitatis amittere emigratos, qui et exules voluntarii merito appellari possunt, in quos nullum est amplius jus Imperantis statim ac recepti sunt in exilium, hoc est in aliam civitatem; exilium enim non semper cum infamiae nota conjungitur, quae non aliunde, quam a delicto

oritur, et nomen ipsum multoties potius est calamitatis, quam turpitudinis. *Exules* autem legittimi ii sunt, qui in poenam admissi criminis e civitate vel in perpetuum, vel ad tempus ejiciuntur, quorum si et bona publicantur dicuntur *proscripti*. Differunt autem ab exulibus legittimis *relegati*, quod illi a territorio Gentis expulsi sint, illis vero vel certus locus interdicitur, vel certa insula, aut provincia assignatur, ut eo quasi vinculo includantur.

Quamvis autem voluntarium exilium per se nec supplicium sit nec cum infamia conjunctum, sed quandoque infortunii perfugium attamen si quis ut poenam admissi criminis fugiat in exilium migrat, non omnis in eum jus Gentis suae extinguitur, quemadmodum de peregrinis agentes demonstrabimus.

Quaeri hic potest, an exules vel voluntarios, vel legitimos Gens recipere possit sine ejus populi a quo migrare volunt injuria. Videtur autem licite posse; humanitatis enim officium est sedibus suis expulsis receptum non denegare, et ab usu urbis peregrinos extorres non prohibere, nam licet exules legitimi sint, et in poenam criminis in exilium acti, attamen misericordiam merentur, tum quod jus illis est alicubi sedem ponere, tum quod ipsum peccare quodammodo infortunium sit, tum quod denique reus in alie-

no territorio non habetur, qui apud aliam Gentem crimen admisit.

Cum tamen emigrantes benigne recipere sit officium humanitatis, novas sedes quaerentibus, si justa sit causa, publicaeque saluti expediat, poterit eas Gens denegare; quamvis enim exulibus et peregrinis, alicubi commorandi sit jus, non tamen hanc, vel illam terrae partem, communi jure violato sibi vindicare possunt. Receptus igitur ab ipsis petendus alibi, nec vis adhibenda, nisi extrema urgeat necessitas, qua una privata hominum dominia, et inde derivantia jura suspenduntur.

CAPUT II.

De officiis Gentium erga alias.

Homo homini in primaevo naturae statu debet, quod ipse sibi, nisi officium erga alium cum officio erga seipsum collidatur. Eadem regula officia Gentium inter se dimetitur; non enim quod homines peculiares inierint societates ad assequendam felicitatem, humanitatem exuisse dicendi sunt. Societates quidem diversae, idem tamen omnium objectum, iidem homines sunt, atque adeo populus populo, quod homo homini debet. Itaque si huc revocentur, quae de offi-

ciis hominum erga alios, et de officiis Gentium erga se ipsas docuimus, quae etiam sint officia Gentium inter se manifeste patebit; quamvis enim genus humanum sit in diversas societates distinctum, non ideo hominum natura immutata, atque adeo inter se eadem jura, et obligationes, nisi quatenus obligationes contractae naturales quandoque vincunt, et in collisione officiorum, perfecte potius quam imperfecte debita praestantur.

Cum hominum jura constituat ipsa humana natura, non eorum fortuitae modificationes, qualitates, et externae circumstantiae, officia humanitatis Gentibus universis praestanda, nulla habita Religionis, legum, morum et institutorum diversitatis ratione, quin et hostibus non deneganda, iis tamen servatis regulis quas alibi statuimus.

ART. I.

De Gentibus non laedendis.

Quamvis humanitatis officiis aliquis modus praescriptus sit, eaque sint ex utraque parte conditionalia, atque adeo jus tantum imperfectum pariant, absoluta tamen sunt officia Gentium de non laedendis aliis, quod quidem eodem argumento

ostenditur, quo injurias omnes vetitas esse inter homines demonstravimus, Gentes enim haberi posse diximus tamquam personas morales in naturali statu viventes.

Non idem ac inter homines singulos est injuriarum inter Gentes objectum, cum non eadem sint perfectionis elementa; eadem tamen lex prohibet ne quid a populo admittatur quod alterius populi perfectionem vel corrumpat, vel impediat quominus eam Gens adipiscatur. Huc ea omnia sunt revocanda quae de aliis vel non laedendis, vel non contemnendis supra diximus, qui enim in Civitatem coierunt non humanitatem exuisse dicendi sunt, adeoque iisdem legibus civitates obstringuntur, quibus homines inter se in naturali statu. Amor igitur, beneficentia, liberalitas, comitas, cetereaeque virtutes quas omnium parens commendavit natura, non sunt in societate abjiciendae, quae enim leges justitiam, et injustitiam in naturali statu constituunt, eaedem jus et injuriam dimetiuntur inter gentes.

ART. II.

De Commercio Gentium.

Ex iis quae circa sufficientiam vitae supra notavimus constat, commercia inter gentes non tantum licita, sed naturali lege praecepta. At cum fieri possit ut sibi populus omnino sufficiat, nec alienae opis indigeat, naturale hoc praeceptum, hypotheticum est, atque adeo Ius Gentium ad conmercium in specie cum hoc vel illo populo exercendum, jus est imperfectum. Si enim de nostris vendendis sermo sit, neminem ad emendum cogere possumus, si de alienis comparandis neminem per vim licite ad vendendum adigere, cum an aliquid ejus indigentiae supersit ignoremus.

Quare cum jus in genere ad commercia perfectum sit, qui commercia inter gentes impedit injuriam facit. Exinde patet, non esse mercibus transitum denegandum. Verum cum ad commercia in specie jus sit imperfectum, genti cuique liberum erit alteri id denegare si publicae saluti expedire videatur. Itaque nemini injuriam facit qui peregrinas merces in territorium importari non patitur, vel quibus non indiget, vel quae publicae felicitati damnum inferunt.

Cum officia imperfecta nisi per mutuas promissiones perfecta fieri non possint, jus ad commercium in specie per pacta acquiritur. Conventiones ergo omnes Gentium circa commercium licitae dummodo jus alterius perfectum non laedant, eoque consilio ineantur, ut libertati Gentium minus quam fieri possit officiatur, ad aliena enim comparanda, et sua aequo pretio vendenda cuilibet genti jus aequale, ac officium naturale est, ut non unius populi tantum, sed totius humani generis felicitas promoveatur. Verum cum in collisione ut nobis potius quam alteri consulamus natura jubeat, si Reipublicae intersit, nil prohibet, quin Gens cum alia Gente pacisci possit, vel ut merces quasdam sibi soli vendat, vel eas quibus indiget a se solo certo pretio emat, vel ut commercia in territorio exercere liceat, et cetera hujusmodi quae liberam Gentium mercaturam restringere videntur; gens enim utitur jure suo, ac nulli injuriam facit, cum jus ad commercium speciale sit imperfectum.

Rerum et operarum inter Gentes communicatio, in qua maxime commercium populorum externum versatur, naturali jure praescribatur, omnibus imposita esse debet obligatio ut faciliora mutua Gentium commercia reddant, adeoque et publicas vias sternant, fluminibus pontes imponant, ad oras, sinus et portus tutum appulsum

praestent, navigationem tueantur, et juvent, emporia, et loca nundinis apta constituant, et humani generis mercaturam promoveant, et amplificent, si tamen id fieri possit, sine publicae utilitatis, et securitatis dispendio. Itaque altera Gens alteram cogere nequit, ut hoc vel illud commerciorum utilitati praestet. Cum tamen nemo gratis dare, quod alter mutua possit praestatione consequi teneatur, sumptus in commerciorum utilitatem factos, *portoriis*, et *vectigalibus* mercatoribus impositis compensare licet; aequum est enim ut nemo ditior fiat cum aliena jactura. Justa igitur vectigalia si modum non excedant, nec plus petatur, quam impensum est vel impenditur ad mercatorum commodum, vel tutelam praestandam.

Cum tamen vectigalis vel portorii quantitas a territorii domino pendeat qui jure suo uti nemine contradicente potest, hinc multoties ad querelas praecavendas de certis mercium vectigalibus pendendis, spensiones publicae inter gentes initae sunt, quo casu data fides servanda. Non tantum vero certus vectigalibus publicis sponsionibus praescriptus est modus, sed multa etiam in alieno territorio mercaturam exercentibus jura ab ipsius territorii domino interdum concessa sunt, et *consules* constituti quibus mandatum est a Principe constituente, ut privilegia subditis suis in alieno territorio mercaturam facientibus

tueantur, et lites inter eos mercaturae caussa exortas, summarie ut ajunt et juxta aequi, bonique, aut Patrii Juris regulas vel componant, vel dirimant.

ART. III.

De Aequalitate, et libertate Gentium.

Homines in naturali statu et aequales, et liberi sunt: si plures civilem societatem ineant, aequalitati quidem, et libertati renunciant intra societatis fines; persona tamen moralis, quae civitas dicitur, habita ratione coeterorum hominum qui ea societate non includuntur, et libera, et aequalis est, nec singuli enim, nec omnes, nec eorum pars aliqua qui diversam ubilibet constituerint societatem praestantiam affectare possunt. Cum autem aequalitatem dicimus, moralem intelligimus quae non in physicae potentiae aequilibrio, sed in jurium, et obligationum paritate versatur. Nulla igitur Gens est, licet viribus, opibusque potentior quae alia superior ordine, et natura praestantior sit, eodem pacto quo nullus est in naturae statu cujus sint jura potiora, quod fortasse corporis robore alterum vincat; cum enim eadem omnium natura sit, ac jura omnia a natura deducantur, quae uni sunt jura tributa,

et alteri concessa sint necesse est, unde moralis aequalitas ortum ducit. Consensu igitur tantum aequalitas, et libertas naturalis exuitur, atque adeo nulla inter Gentes praelatio nisi per pactum, quod tamen naturali legi non opponitur; quisque enim potest juri suo renunciare. Poterit igitur populus populo aliquam honoris praerogativam concedere, aut imperii reverentiam, aut quid aliud promittere, quo se inferiorem fateatur, et perfectae renunciet aequalitati.

Si aequales est liberae gentes inter se sergo et summi earum Imperantes in quos Gentium jura translata sunt, quique Gentem ipsam repraesentant. Nullus igitur Imperaus prae alis tua excellentior, aut dignior, nec uni competunt jura, quae alteri aequae tribuenda non sint; imperium civile enim aequae summum, quantumvis angustum sit civitatis territorium, et Jura majestatis eadem ubique. Attamen innumerae exortae sunt inter Europae principes contentiones circa dignitalis, et loci ordinem, et multeties scriptis et armis certatum est de Jure praecedentiae; hujusmodi autem quaestionum diiudicatio, non a naturalibus legibus pendet, sed vel a conventionibus Gentium, vel a populorum consensu.

Quamvis autem vel tacite vel expresse consenserit populus alter, alterius majestatem se comiter servaturum, et concessuram aliquam ho-

noris praerogativam, non ideo ejus libertas imminuitur. Summum adhuc intra territorii fines imperium, adeoque et Remp. administrandi libera facultas, et jus omnino perfectum. Nemini igitur Principi quantumvis potentissimo jus est impediendi, ut populus exercitio utatur juxta sententiam eaque jubeat, quae ipsi vel utilia vel justa videntur, licet minus ad finem civitatis conducibilia. Errantem si velit, moneat; hic tamen sistat humanitatis officium oportat, si enim per vim liberum coerceat populi imperium, naturae legem violat. Itaque nullus Princeps alienae se immiscet Reip. administrationi, nisi forte eadem sua jura perfecta laedantur.

ART. IV.

De Officiis Gentium quae ex dominio et imperio ortum ducunt.

Cum eadem sit tam privati, quam publici dominii ergo, eadem jura, eaedemque obligationes ex utroque discendunt. Cum igitur sumpti demitorii dominim ad populum pertineat, tamquam personam moralem, sive penes cum sit in commune, sive in singulos Cives divisum, pars territorii privato cuique tributa eam habet rationem ad totum, quam civis ad populum, at-

que adeo cum cives simul sumpti populus sint, ita bona privata civium, sive territorii partes simul sumptae bona sunt civitatis. Itaque si qua Gens jus habeat quaesitum in bona alterius Gentis, illud valide exercet in cujuscumque privati bona quae in debitricis territorio sunt posita. Aes igitur alienum publicum, nempe nomine Civitatis contractum ex publicis primum, deinde ex privatis Territorii bonis solvendum pro rata.

Ex dominio, et Imperio Gentis intra territorii fines, sequitur jus perfectum excludendi omnes qui ad civitatem non pertinent ab ejus usu, vel eos admittendi iis legibus quae Gentis Rectori placuerint. At si nullae leges circa peregrinos, vel advenas latae sunt, ea tamen recepti conditione intelliguntur, ut summi imperii legibus pareant donec in territorio commorantur; absurdum enim est, in eo aliquem esse, qui publica contemnere jura possit, in novam enim societatem quasi temporarius civis cooptatur, atque adeo publico paret imperio, quod quidem intelligendum est non tantum quod ad personas, sed etiam quod ad res tam mobiles, quam immobiles, quas peregrinus in alieno territorio possidet, eae enim loci legibus aeque subjiciuntur; in Principis enim jurisdictionem consensisse jure praesumitur qui illius ingreditur territorium, vel in eo praedii possessionem acquirit. Iisdem igitur legibus et civis,

et advena regitur, atque eodem tempore juvatur, et in eo differunt inter se, quod civem nunquam, advenam interdum ignorantia juris excuset. Haec quidem non pugnant cum iis quae supra diximus de iis qui a patria discedunt animo redeundi, quos civitatem non amittere, et ad eam quasi subditos pertinere asseruimus. Potest enim quis uno eodemque tempore et alieno imperio subesse in quibusdam actibus, et ad tempus, in aliis vero et jura, et obligationes servare erga civitatem suam, quae nullo pacto imperio loci in quo degit repugnant. Huic igitur est imperium in advenam quasi in temporarium civem, civitati vero suae quasi in perpetuum, adeoque et revocanti civitati, et legibus Patriis obtemperare tenetur in omnibus. Quin si civis concivem suum in alieno territorio laedat, et in Patriam redux laesus ad reparationem damni, vel ad poenam agat contra laedentem, jure poterit judicium de ea re in Patria institui, et patriis legibus definiri; jus enim quod laesus acquisivit personam sequitur quamvis sit in alieno territorio quaesitum. Si vero antequam rediret in patriam, judicem alieni territorii adiit, et de ea re est sententia dicta, nullus est alterius juris experiendi locus; sententia enim est actus imperii, quod cum summum sit, externae Jurisdictionis examini non est subjiciendum.

Jus puniendi criminis reos in principe perfectum, perfectum item in altero Principe jus arcendi peregrinos, et exteros a territorio, et non patiendi ut alter ibidem jurisdictionem exerceat se invito, et inconsulto, si igitur quis deliquit in territorio, et post crimen admissum, aliquo confugit, in officiorum collisione jus oritur deposcendi reum ad poenam, in Civitate autem apud quam degit, obligatio ut interpellata vel pro merito puniat nocentem, vel ei apud quem deliquit dedat, vel saltem praesumpto reo neget asylum. Eo pacto et jus alieni territorii non laeditur, et datur jus ex naturali lege exequendum. Si omnia recuset civitas, jam non amplius inter privatum reum et gentem, sed inter Gentes ipsas res agitur: crimen enim ipsum non incongrue populo tribuitur, qui delinquentem tuetur, et criminis denegat reparationem, quae quidem injuria aequissimam praebet belli causam.

Non tamen deposcenti ante tradendus praesumptus reus, quam causa cognita sit, et de criminis imputabilitate liquido constet: contra enim alienam vim subditis etiam temporariis a Civitate debetur patrocinium, nec reus aliquis dicitur nisi convictus, et legitimi Judicis sententia criminis auctor declaratus; nullus autem Judex legitimus extra imperantis territorium. Quod quidem cum facile vitandae poenae delinquentibus praebere possit opportunitatem, at-

que adeo Gentem cum Gente committere, inter plurimos Europae populos publicis pactis sancitum est, ut deposcentis populi judicio fides habeatur, et ad ejus nutum reus praesumptus detur.

Quoniam vero actiones suis auctoribus imputantur, si quid admissum a privatis civibus in populo, inscio, et inconsulto summo imperante, id populo imputari nequit. Uno verbo populo non imputantur, nisi actiones publicae. At si subditos injuriam in exteram gentem inferre non ignoraverit, et eos cohibere si possit, aut illatam reparare injuriam requisitus neglexerit, jam populus ipse injuriae auctor habetur, et vis publica, publica vi repellitur.

ART. V.

De Jure necessitatis inter Gentes, seu de usu rerum innoxiae utilitatis.

Cum dominia, et imperia Gentium de quibus hactenus disseruimus ab eadem deducantur origine, a qua privata, iisdem etiam conditionibus utraque subjicienda esse manifeste patet. Si qua igitur sunt in dominio, et imperio Gentis quae praeter privatam, propriamque, innoxiam etiam habeant utilitatem, ea in commune posita na-

turali jure non inficiandum, cum ratio omnino desit cur a communione primaeva subtrahantur; quae enim utilia iis sunt qui accipiunt, danti non molesta, ea denegare petenti et barbarum est, et injustum; quamvis enim quaedam occupari possint quod ad privata emolumenta, non tamen jure occupantur quod ad eam, quam habere possunt innoxiam utilitatem. Id quidem non ex pacto, ut Grotius ait, tacito inter gentes, sed ex ipso naturali jure et dominii natura ortum ducit.

At cuinam pertinebit judicare, an usus rei dominio subjectae innoxius omnino sit, et nec minimum detrimenti et molestiae domino afferat? quidquid nonnulli dicant, id domini judicio permittendum arbitror, fieri enim potest, ut qui aliis videtur rei alicujus usus omnino innoxius, et loci, et temporis habita ratione revera non sit, et magnam afferat domino, aut aliquam saltem molestiam. Si quis igitur putat, rem jam occupatam, usum habere innoxium, eum a domino petat oportet, qui si denegat etiam injuste, legem naturae violat, injuriam petenti non facit, atque adeo per vim adigi nequit, ut usum praestet, sine naturalis libertatis laesione. Hoc igitur jus, quod vocant innoxiae utilitatis ad res alienas non differt ab eo quod universis hominibus competit ad humanitatis officia; et cum quod imperfecte debetur, nonnisi per pacta per-

fecte debitum fiat, diuturnus rei alienae usus jus non parit, et a precario non differt. Itaque poterit alter populus alteri usum rei vel juris proprii concedere, alteri denegare sine injuria; fieri enim potest, ut rei suae vel juris usus innoxius si uni populo concedatur, non innoxius si alteri, cujus rei judicium penes populum est, qui rei, vel juris dominium habet. Quae igitur deberi gentibus nonnulli dictitant jure innoxiae utilitatis ex primaeva communione residuo, cum non incongrue quod ad effectum externum attinet, ad officia humanitatis referantur, per vim exigi nequeunt, ut transitus exterorum per terras, et aquas occupatas, ad littora, et oras appulsus, commoratio, permansio, et domicilium in territorio, mercatura, et cetera id genus, quae quidem, si innoxia, denegare durissimum est, et inhumanum, at per vim exigere injustum.

Haec omnia recte procedunt nisi officia Gentis erga se ipsam cum officiis erga aliam collidantur, et extrema urgeat necessitas: in praesenti enim rerum discrimine lex naturalis circa imperia et dominia publica suspenditur.

ART. VI.

De Praescriptionibus.

Si quis hominem quantumvis rudem interroget, an ei qui ab usurpatore rem mobilem, aut immobilem accepit, eamque decem, vel viginti annis bona fide possedit, liceat jure tamquam suam retinere, verumque dominum, eam vindicantem, et usurpationem demonstrantem jure repellere, responsurum non dubito, id nullo pacto licere. Cum enim in hypothesi certum sit, domino vel invito, vel inscio jus quaesitum ereptum injuria fuisse, fieri non posse arbitrabitur, ut injuria tractu temporis convalescat, et juris robur obtineat, et ne videatur alienam tueri usurpationem, et ratam habere injuriam, rem suam domino restituendam, damnique reparationem a fraudis, et usurpationis auctore deposcendam docebit. Id sane sentiet, qui naturalis rationis radios subtilium cavillationum caligine obnubilari, aut justi, et honesti sensum corrumpi passus non est. Cum vero plures et scholastica deliramenta, fatilesque sententiae corruperint, hinc maxima exorta est difficultas circa jus praescriptionis quod tot, tantisque fuit scriptorum ambagibus involutum. Rectae igitur rationis revocemus principia, quae pro re nostra

ad haec reducuntur; primo nempe quod nemini invito suarum rerum dominium sit eripiendum 2. quod alienae rei restitutio naturaliter praecipiatur, undecumque eam possessor comparaverit, 3. denique, cum dominium sit jus, cumque tempus sit simplex nomen rerum existentium durationis, per se vim moralitatis effectricem habere non potest. His positis quaeritur primo utrum praescriptio, et usucapio, sit in jure naturae admittenda. Negamus. Praescriptio enim, vel usucapio est adjectio dominii per continuationem possessionis temporis longe definiti; ergo acquiritur dominium rei alienae invito domino, facultas moralis per lapsum temporis, et liberatur possessor a naturali obligatione restituendi rem alienam. Quaeritur 2. an saltem in Jure naturae admittenda longissimi temporis praescriptio, quae scilicet memoriam hominum excedat. Negamus: quae enim supra notavimus et hic valent, nisi asseratur, injuriam, quo diuturnior, eo magis in speciem juris transire. Fieri tamen potest, ut longissimi temporis possessori dominium rei quam possidet adjiciatur facto potius, quam jure, cum nempe possessionis origo ab hominum memoria distat, et usurpatio demonstrari non potest; non enim sufficit, ut quis ostendat rem ab alio possessam ad se, vel suos olim pertinuisse, sed manifesto doceat opor-

tet, se vel suos a dominio et possessione injuria fuisse deturbatos.

Objciunt tamen nonnulli praescriptionis legem publico bono civitatis introductam, sine qua dominia omnia incerta, et turbata, adeoque Civium pax, et tranquillitas perpetuo periculo agitaretur. Et cum dominia rerum privata permissa sint a natura ad pacem inter homines servandam, naturali rationi consentaneam praescriptionem esse asserunt, quae possessori longi temporis adiicit tandem rei possessae legitimum dominium.

Sane non negamus in civitate licere ad lites evitandas post certum possessionis tempus res alienas etiam initio male partas possessori tamquam suas lege lata adjudicare, aut ab juris sui exercitio quod diu neglexerit, dominum dejicere quasi in poenam negligentiae: non negamus, in civitate licere huic, vel illi incerto derelictionis argumento certitudinem tribuere. Multa esse diximus quae a naturali jure in civitate recedunt necessitatis lege. Non tamen id est quod quaerimus, nam quamvis concederemus jure naturae permissivo licita esse ea omnia, sine quibus civilis societas consistere non potest, et ad ea referendam esse praescriptionem, attamen vicissim concedatur oportet, possessionis tempus arbitrarium omnino esse, et a summo imperante pendere, adeoque ejusmodi praescriptionem

in statu naturali, et inter Gentes suo fundamento carere, cum nullus sit, qui jus habeat aut tempus definiendi ad praescriptionem necessarium, aut dominum negligentem puniendi.

Sed nodum rursus objiciunt praescriptionis assertores, qui insolubilis esse videtur; si enim nulla admittatur praescriptio inter Gentes, ex diuturna possessione, aut derelictione praesumpta, jam omnia incerta, et turbata in orbe terrarum sint oportet, nec quisquam erit Princeps, aut summus Imperans, qui tutus esse possit in imperii sui quamvis longissimi temporis possessione; quod quidem cum Gentium tranquillitati adversum omnino sit, id etiam dicendum est naturae legi contrarium.

Haec quidem nullo modo objicerentur si qui de praescriptionibus scripserunt, Imperia a privatis praediis probe distinxissent. Cum enim civile imperium neque occupatione, neque iis modis, quibus privata dominia transferuntur acquiratur, sententias de praescriptione imperio aptare absurdum omnino.

ART. VII.

De Pactis publicis, et Foederibus Gentium.

Eadem privatorum contractuum et publicorum foederum origo, idem objectum, et consilium, utrorumque fere subjectum idem; si enim tum homines singuli erga singulos, tum Gentes erga alias naturalia explerent humanitatis officia, vix ullus publicis, aut privatis pactis locus reliquus esset, eorum praecipue, quae non in continenti perficiuntur, sed jus, et actionem pariunt in futurum. Sed cum humanitatis officia imperfecte debita sint, atque adeo incerta, et dubia, necessitate exigente, eorum praestatio, publicis pactis perfecte debita fiunt, aut aliquid juxta varias populi opportunitates adjicitur juri naturali, vel onere sibi imposito, vel cautione data, vel translato, aut renunciato aliquo jure. In eo tamen differunt privata a publicis pactis, quod illa inter privatos fiant de privatis juribus, et emolumentis, haec inter populos liberos de rebus publicis, et ad civitatem, vel Gentem universam pertinentibus: illa privatos, haec civitatem obligant, atque adeo ad Majestatis jura tum pacis, tum belli foedera pertinent, cujus voluntas populi, vel civitatis voluntas esse intelligitur. Summi igitur Imperantes tantum, vel ii qui

ab ipsis legitimam habent causam, et speciale mandatum foedera pangunt, si de rebus publicis agant, si autem de propriis, et privatis, quamvis summi Imperantes sint, seipsos obligant, non civitatem. Non tamen ex utraque contrahentium parte, majestas necessaria; si cum privatis, aut subditis, aut exteris de rebus publicis Princeps agat, pactum componitur publicum, et foedus percutitur, quod a Civitate servandum.

Praeter memoratas personas, memini jus est pacta publica ineundi, quae civitatem obligent. Supremi belli duces, Provinciarum, finiumque defensores, minoresque aliae potestates, quibus exercitium aliquod summi Imperii commissum est, ea jura omnia habere intelliguntur, sine quibus munus sibi demandatum recte administrare non possunt, atque interdum, iis jubentibus, summoque Imperante inconsulto, induciae, ab actibus hostilibus cessatio, vel ut ajunt armorum suspensio, deditiones jure fiunt, non foedera, aut publica pacta, quae injussu populi, vel ejus Rectoris componere nefas.

Quaeritur tamen a nonnullis, quid juris, si exercitus Imperator, aut provinciae defensor aliquid promittat, spondeatque, summam Potestatem quod promisit, ratum habituram, in quid nempe teneatur Civitas, in quid sponsor. Et quidem Civitatem sine mandato obligari non posse liquet, nemo enim ultra voluntatem suam obliga-

tur. Quod autem ad sponsorem attinet distinguendum censeo, an sponsor declaraverit, non se jure obligandi Gentem munitum, an vero dolo malo promissarium deceperit, simulans se facultatem promittendi nomine Gentis, a summa potestate accepisse. Si primum, et aliquid promittitur, quod Remp. tangat, idem est, ac si sponsor polliceatur, se operam daturum atque effecturum, ut populus, vel Gens pro qua promittit, id ratum habeat. Ubi igitur populo sponsionem suam declaravit, et sponsionis causas exhibuit, fidem solvit, judicio populi relinquens an sponsionem ipsam probare, vel improbare velit, nec ultra progreditur obligatio. Licet improbata sponsione altera pars, seu promissarius damnum patiatur, ipse est sui damni causa moralis, atque adeo sponsori non imputandum, qui operam tantum se daturum promisit, ut sponsio rata haberetur. Si vero alterum, et jus obligandi Gentem quod non habuit prae se tulit sponsor, alterumque decepit populum, in id teneri quod interest negotium illud ratum non habitum fuisse, ambigendum non est; damnum enim dolo sponsoris datum a sponsore ipso sarciendum, adeoque decepti populi eadem jura sunt in sponsorem, quae esse diximus in hominem, qui deliquit in Territorio, vel dolo, aut culpa damnum dedit, et exinde apud aliam Gentem se recepit. Dedendum igitur censeo dolosum ac

fraudolentum sponsorem, ejusque bona tradenda a summo Imperante decepto populo, ut et damnum eo quo fieri potest pacto reparet, et poenam criminis sumat.

Ut igitur fraudibus, et dubiae fidei obviam eatur, mos invaluit inter Gentes, ut non prius foedera et pacta publica a ministris Imperantium, eorumque nomine facta valeant, quam ab ipsis probata, et confirmata fuerint. Haec tamen intelligenda non sunt de iis, quae minores Potestates promittunt intra fines facultatis a summo Imperante concessae, habita publici muneris ratione, nam ea valent, simul ac promissa sunt, nullaque Principis confirmatione intercedente.

Cum Gentes inter se haberi possint tamquam personae morales in statu naturali viventes, ea omnia quae supra de officiis compromittentium, de validitate, et fide pactorum diximus, eo magis hic valent, quo foederum subjectum praestantius, eorumque nocentior violatio. Verum quamvis foedera et pacta publica sancte servanda sint, attamen si populus populo officium aliquod humanitatis promisit, ut auxilia peditum,equitum, navium, aut ad omne, aut ad certum bellum, frumenti, aut cibariorum annuam praestationem et cetera id genus necessitatis casum excepisse praesumitur, ita ut si hostilis incursus immineat, si summa sit apud eum annonae penuria

ad promissa implenda non teneatur; quamvis enim et res, et jura populi in alium transferre licitum, tamen in officiorum collisione obligatio suspenditur, cum nemini concessum sit ea alienare, sine quibus aut conservatio, aut defensio sui sit impossibilis, atque adeo et promissor ipse necessitatis casum excipere voluisse legitime praesumitur. Quod si idem uno, eodemque tempore praestare quis possit pluribus, quin id valide promittat vix dubitandum, ut hospitium, transitum per territorium, mercium exportationem etc. At si tamen id promissum sit pluribus, cujus praestatio eodem tempore sit impossibilis, eum liquet praeferendum, cum quo antiquius est foedus; nullum enim, et invalidum posterius foedus, quod sit antiquiori contrarium, nec promissor jus, quod jam alienavit, in alium transferre potest. Sic societas bellica cum pluribus contrahi potest, certumque auxilium promitti, attamen si plures foederati bellum gerant nec omnibus auxilia mitti possint, illi opem ferat promissor oportet cum quo societas, et amicitia antiquior, posteriores enim ea conditione initae intelliguntur, ne antiquiores violentur. Ceterum quae inter Gentes panguntur foedera, aut idem statuant cum Jure naturae, aut ei aliquid addant, ex libera paciscentium voluntate modum, et mensuram accipiunt, quae si nec fraus, nec dolus intercedat, utrin-

que sancte servanda, nec contrahentibus alia imposita a lege naturali officia sunt, quam quae ad compromittentes pertinere diximus.

Vel paribus igitur, vel imparibus legibus foedera fieri possunt, ita ut vel utrinque eodem modo se habeant, vel majus alterutri onus imponant, vel minora tribuant emolumenta, et uti convenerunt contrahentes, ita jus esto: prima aequalia, altera inaequalia foedera dicuntur, aequalitatem vero mutuarum praestationum aequivalentia constituit. Si in foedere inaequali aut res, aut operas populus promittat, nec eadem reddi sibi restipulatur, ut in foedere belli auxilia, in pacis vero exportationem suarum mercium, vectigalium abolitionem, annuum tributum, nec pars altera quid repromittat, non ideo imminutum dixeris promittentis imperium, cujus integritas in eo potissimum sita est, ut in Reip. administratione a nullius arbitrio pendeat; quamvis autem ad quid agendum, vel non agendum se obligaverit cum potentiori populo, et onera aut transitoria, aut manentia sibi imposuerit, dummodo jura imperii non alienaverit, majestatem retinet intactam, quae enim alteri praestat, certa sunt, et ex libera paciscentis voluntate, non ex alieno imperio descendunt.

Exinde manifeste liquet, si nullum in contrahendo foedere vitium interfuerit, illud quamvis inaequale, et ex alterutra parte onerosum va-

lere, datamque fidem inviolabiliter servandam, eo quod populi foedera ineuntes non mutuarum praestationum aequalitatem, sed sui conservationem, et securitatem potius respiciunt, et ea quae multoties privatum damnum inferunt; publicam habent utilitatem. Quia tamen eadem officia esse diximus publicorum, privatorumque compromittentium, cavendum est, ne in foederibus inaequalibus, altera pars plus aequo oneretur, nec promissiones acceptandae, quae in externae Reip. perniciem vergant, tum quod aliena felicitas pro viribus promovenda, tum quod ex aliena levitate, aut temeritate, emolumentum capere injustum, et inhumanum est. Sed cum promissarii non sit inquirere jure externo an promissor matura animi deliberatione ad foedus componendum accesserit, promissum ratum sit oportet, et ex eo jus quaesitum per vim exigere, externe saltem non injustum, si nullum in paciscendi modo vitium irrepserit.

Cum foedera pacta publica sint a populo, sive ejus Rectore tamquam publicae voluntatis legitimo interprete inita, ea per se perpetua esse, vel saltem tamdiu manere, quamdiu populus idem permaneat patet. Nec interest an contractum sit cum Rege vel cum populo, ut immutata regiminis forma, foedera ipsa cessent; nam si de rebus publicis et populi sibi commissi causa egit in foedere, tamquam Caput Civitatis

egisse Rex intelligitur, ac populum obligasse, nisi aliter expresse cautum sit, aut pactum sit Regis privatum. Supervacanea igitur est foederum divisio in personalia, et realia, quae potius dicenda sunt *perpetua*, vel *ad tempus* nulla habita personae contrahentis ratione; Si vero dubitatur an foedus aliquod perpetuum sit, vel ad tempus, ad rectae interpretationis normam controversia est dirimenda.

Quaeri a nonnullis solet, an foedera cum iis populis qui a vera Religione alieni sunt, iniri possint. Verum cum humanitatis officia omnibus omnino hominibus debita sint sine ullo Religionis discrimine, eaque conferre non tantum liberum, et laudabile, sed etiam naturali lege praeceptum, cum foedera per se, si justa, si naturali legi conformia, nil aliud sint, quam societates ad mutuam beneficiorum praestationem initae, ea cum omnibus Gentibus pangere, non tantum licitum, sed etiam non neglectis officiis erga se praeceptum esse manifeste liquet, quamvis diversa colant sacra, falsamque religionem profiteantur; jus enim hominum ad aliorum beneficia non exinde ortum ducit, quod Religionis consortes, sed quod homines tantum sunt, quibus una est lex naturalis communis.

Pacta publica a privatis non differre diximus, atque adeo mutuo ineuntur consensu, dissensuque mutuo dissolvuntur. Et cum praesta-

tiones mutuae tamquam conditiones promissis appositae haberi possint, si alterutra pars foedus violet, alteram a fide servanda liberasse patet, nisi potius velit quod sibi debetur per vim exigere; ad utrumque enim jus perfectum habet, ut namque vel discedat a foedere, vel armis infidelem compellat ut quod promiserat praestet. At si mutuae praestationes condictae plures fuerint, et altera pars unam tantum implere recuset, servetque in ceteris omnibus fidem, poterit ne altera a toto foedere discedere? Et quidem non posse arbitror, nisi necessitate exigente; scilicet postquam manifeste appareat soluti foederis culpam sustinere, nec injuriam reparare velle peccantem; si enim requisita pars delinquens reparationem detrectet, et protestationes de toto solvendo foedere negliget omnino, jam in solutionem quodammodo consensisse videbitur. Tunc a toto foedere jure recedet si velit pars fidelis; et retributionem pro servata foederis parte negabit. Si vero ex recessione, majus quam dederit damnum patiatur pars delinquens, illud sponte subiisse praesumitur.

Item dissolvuntur foedera alterutrius foederati, vel contrahentis populi morte; moritur autem populus cum majestatem amittit.

ART. VIII.

De Accessoriis foederum seu de Guarantigia, Pignore, et Obsidibus.

Cum populi vel eorumdem Rectores summi, neminem habeant violatae fidei vindicem, et cum ex violatione Rerumpublicarum salus periclitetur, fidem Regum sanctissimis vinculis semper fuisse obligatam, Historiae monumenta manifeste declarant. Sic apud Romanos per Feciales, apud ceteras Gentes per Sacerdotes non sine victimis, et Deorum invocatione qui perfidiae vindices essent foedera percussa solemni jurejurando firmata sunt horrendis additis malorum imprecationibus capiti ejus qui pejerasset. Sed nec satis firma Regum fides visa est divinae irae timore: Cives ditissimi, ac potentissimi licet paciscentis Regis subditi advocati sunt; quasi fidejussores, et juramento obligati ut pacta conventa tuerentur. Tandem haec Gentium instituta, quae non sine quadam majestatis injuria, et contumelia invaluerant exulare jussa sunt et cautionis loco Guarantigiae inventae, de quibus agemus.

Guarantigia igitur est pactum publicum, quo unus, vel plures populi foederi accedentes contrahentibus promittunt foederis observantiam;

atque adeo a simplici fidejussione differt, quod fidejussor factum proprium promittat sub conditione, si principalis debitor aut nequeat, aut nolit fidem solvere, qui autem Guarantigiam praestat, factum alienum promittit, spondet enim, tertium aliquem fidem quam dedit servaturum. Guarantigia autem *generalis* dicitur, si ad omnia, specialis, si ad nonnulla tantum foederis capita extenditur.

Si igitur contrahentium aliquis, vel dictis stare renuat, vel aliquo pacto fidem violet, illud erit promissoris Guarantigiae officium ut requisitus, opem omnem, quam potest parti praestet fideli ut jus suum exequatur, atque adeo Guarantigia per se auxiliorum praestationem includit, quae nisi praebeat promissor, ad id quod interest tenetur, quod per vim exigi potest.

Si autem plures populi vicissim inter se spondeant se alicui Guarantigiam praestituros, et eidem vel singuli, vel in solidum promittant, omnes promissa suppeditabunt auxilia, et unicuique compromittentium jus est per vim cogendi reluctantem, ut fidem servet; non tantum enim singuli erga tertium, sed singuli inter se obligationem contraxerunt.

Pignora etiam et *Hypothecae* quasi publicae fidei firmamentum inter Gentes, ut et inter privatos obtinent iisdemque quas alibi exposuimus legibus reguntur, et a reali fidejus-

sione non differunt. Pignori autem et hypothecae subjiciuntur ea omnia, quae in publico, vel saltem eminenti dominio sunt Gentis, sive res sint, sive jura, ut pars territorii, redditus publici, et privata etiam Principis, vel subditorum supellex in pignus traditur, pro cujus luitione, privata Civium omnium bona obligantur pro rata, si publicam causam contractum debitum respiciat.

Sunt qui asserunt, imperii quoque partem oppignorari posse a Principe, quod negandum omnino nisi populi cujus interest consensus accedat, quamvis enim civium omnium bona in totius populi, vel civitatis dominio esse praesumantur, ita ut de iis necessitate exigente disponere ex sententia possit, illud tamen jus exinde manat quod singuli fidem dederint, se bona et vires proprias collaturos ad Civitatis conservationem cujus imperio tantum se obtemperaturos spoponderunt. Non igitur jus est Civitati, ejusque Rectori sociorum partem cogere ut alieno pareat imperio. Bona igitur provinciae, publicos redditus licite creditori oppignorabit Princeps, addita etiam antichresi, publicorumque reddituum perceptione ei tradita; Imperium autem nullo pacto pignori dabit, nisi populo de quo agitur consentiente.

Si tamen populus ad tempus potius creditoris subire imperium velit quam a civitate in

perpetuum divelli, tunc creditor imperium arripiet quale apud Civitatem oppignoratam erat, iisque legibus eodem utetur quae in ejus traditione utrinque condictae sunt. Hoc pacto et Urbes, et provinciae in Europa potissimum pignori exteris gentibus datae, et imperium civile in creditorem translatum est: luitio tamen pignoris licita, simul ac id praestetur, pro quo pignus suppositum; simplici enim lapsu temporis, nec jura, nec obligationes extinguuntur.

Quaesitum est an soluto debito pro quo pignus traditum, illud retinere possit creditor pro alio debito quod interea temporis contractum est, cujusque solvendi dies jam venerit. Et quidem retineri posse affirmamus; cum enim creditori naturale sit pignus in bonis debitoris, ita ut si dies solutionis venerit, ea invadere jure possit, multo magis rem oppignoratam pro alio debito licite retinebit, nisi expressis verbis in constitutione pignoris cautum fuerit, ut soluto debito, pro quo traditum erat illico restitueretur.

Interdum loco pignoris non res, aut jura propria, sed personae traduntur creditori in debiti securitatem, quae obsides dicuntur, et quorum libertas a summo Imperante oppignoratur tantum, non vita. Quare si data fides violatur *obsides* necare illicitum est, tum quod in id consentire non poterant, tum quod homi-

nem interficere nisi ob publicam, vel privatam tutelam lege naturali vetitum sit. Non desunt tamen antiquae sevitiae, et crudelitatis in obsides exempla, quae a sequioris aevi philosophis verioris sapientiae sectatoribus omnino improbata sunt, quamvis non defuerint, qui hoc atrox, et immane jus defendere ausi sunt, ex eo quod si data fides violetur a Principe, obsides quia subditi Principis factum probent; aut saltem probare debeant, atque adeo hostes sint, et eo nomine mortem mereantur, quasi vero inermem hostem, et profligatum, et a nocendo alienum interficere liceat. Sed de hac nonnullorum immani sententia inferius agemus.

Civitati ejusque Rectori tantum potestas, sive imperium eminens competit in Cives omnes, ei igitur jus tradendi obsides, eorumque bona, et libertatem utilitate, aut necessitate publica exigente oppignorandi, dummodo Cives sint, nulla habita aetatis, vel dignitatis ratione, omnes enim eodem obstringuntur obligationis vinculo. Minores etiam interdum potestates, quibus nonnulla commissa sunt exercenda summi imperii jura, ut summi exercitus duces, in quibusdam belli conditionibus legitime obsides tradunt, qui cum loco pignoris sint, nullum in eos Creditoris jus, nisi postquam dies solutionis venerit. Tunc aut servi fiunt ex pacto, aut liberantur, si fidem datam debitor solverit.

Nullum autem, et inefficax Summi Imperantis jus esset subditos obsides dandi, si datis liceret evadere a creditoris custodia, et libertati fuga prospicere; fugitivus igitur obses non differt ab eo qui signa deserit, alter enim penes creditorem est eodem pacto, quo miles in statione sua; quapropter non recipere, non retinere potest civitas sed eum infamia notatum creditori denuo tradet, ne publico consilio id factum esse suspicetur; quapropter jure Claeliae fuga est a Romanis improbata, ipsaque cum ceteris obsidibus Porsennae Regi restituta.

Si tamen moriatur obses, non tenetur civitas in ejus locum alterum obsidem subrogare, eodem pacto quo si res oppignorata pereat, novum pignus debitor non supponit, eo enim vel obside, vel pignore sibi satis cautum esse arbitratus est creditor, atque adeo si quis se obsidem det pro alio, eo mortuo liberatur, in eo enim jus pignoris extinguitur.

Haec omnia dicta intelligantur de obsidibus proprie dictis, qui veluti pignora alienae fidei haberi possunt, sed si ipse nomine proprio spondeat debitum se soluturum vel simpliciter, vel sub conditione, si alter aut nolit, aut nequeat solvere, fidejussor fit; si autem promittat, se effecturum ut id, cujus nomine datus est obses, impleatur tenetur ad id quod interest, adeoque etiam ejus bona oppignorantur.

Quaesitum, est quid juris si Rex filium suum dederit obsidem, et solutione non adhuc facta mortuo Rege, ad regnum filius vocetur, an scilicet qui accepit obsidem dimittere debeat, alio in ejus locum subrogato, qui tanti sit, quanti erat primus obses antequam Regno potiretur. Sunt qui cum Wolfio asserunt dimittendum, eam enim fuisse contrahentium mentem ajunt, ut quis sublimi loco natus daretur obses, non autem Rex ipse. Equidem fatendum est, eam sententiam Principis magnanimitati consentaneam, non autem summae naturali justitiae, ita ut aliqua sit obsidem dimittendi perfecta obligatio; cum enim cuique licitum sit sibi cavere quocumque pacto de debiti solutione, non video cur prosperam non arripiat fortunam qui ferre cogeretur adversam, si nempe obses populo carissimus, mutata Reip. forma, vilior fatus sit, et indignus qui redimatur.

ART. IX.

De controversiarum Gentium compositione.

Cum interpretatio facti, etiam prudentissimos fallere possit, nec facile sit interdum verum a falso, a justo injustum secernere, quod inter privatos saepissime, inter Gentes etiam aliquan-

do accidit ut ambigatur an quid alter populus alteri jure debeat nec ne. Si igitur res de qua agitur reipsa controversa, et ambigua sit, ordo naturalis postulat, ut vel per amicabilem transactionem, vel per arbitros, vel tandem sorte etiam lis componatur. Cum enim ea summo Imperanti obligatio imposita sit ut jura sibi commissi populi tueatur, quae clara et manifesta sunt defendere, et vindicare, quae dubia, et incerta consectari, et declarare debet, quamvis enim dubia, jura tamen esse non desinunt.

In dubio igitur ex neutra parte disceptantium vis licita; ex eo si probabilibus innitatur argumentis, nullum aliud jus oritur, nisi ut utrimque probabilia argumenta exponantur, et pensitentur, ut quid justum sit appareat, et si omnia incerta sint, amicabili res controversa transactione componatur. Itaque non bene praecipiunt qui docent bellum esse populorum judicium, quasi ad arma convolare liceat, simul ac de usurpatione juris ambigitur, bellorumque exitum esse veluti supremi numinis sententiam qui victori jus controversum adjudicet; non enim vis in alium licita nisi necessitatis jure, cum nempe nulla alia via patet vel factam reparandi, vel impendentem injuriam avertendi. In hypothesi autem, utrimque de injuria ambigitur; ergo ad colloquia, disceptationem, examen, et investigationem justitiae jus est utri-

que, non autem ad vim, et bellum. Quod si alteruter colloquia, et juris controversi discussionem, aut de discusso, sed tamen incerto, et ambiguo jure transactionem detrectet, alteri injuriam facit, atque adeo in eum vis licita.

Haec quidem recte procedunt si spes aliqua fuerit, eam Gentem quae jus nostrum usurpasse praesumitur, conditiones quibus bellum vitetur accepturam esse; omnia enim prius experiri consilio, quam armis sapientem decet. At si liquido constet, alteram partem conditiones omnes recusaturam, immo nostris monitam expostulationibus, surreptis, remotisque instrumentis quibus controversiae nodus facile dissolvi posset, paratisque raptim armis nos aggressuram ut per vim ad silentium cogat, quin vis in eam licita, nullo etiam colloquio, nullaque expostulatione interposita, ambigendum non est, non quod in causa dubia agere interdum licitum sit, sed quod jura nostra exequi, et impendentem injuriam per vim repellere naturali lege permissum: jus autem quod exequimur illud est, ut in causa dubia conditiones aequas ad controversiam componendam altera pars acceptet, quas detrectaturam in hypothesi certum est.

Si tamen quod Genti debetur certum sit, et juris laesio, aut usurpatio manifesta, nec tamen altera pars aut sponte, aut saltem requi-

sita vel debitum solvat, vel illatam luat injuriam, vis licita defensionis causa, ob quam necessitate exigente eatenus vis licite adhibetur quatenus jus expletur minimo quo potest injuriosi populi detrimento. Reparatione autem denegata, non statim bellum publicum licitum, ut altera in alterius Gentis perniciem et internecionem ruat. Si mitiora juris explendi media sufficiant, duriora, et asperiora arripere illicitum. Itaque si res id patiatur, reluctantem populum ad satisfactionem adiges per *Represalias*, aut *Androlepsiam* per mobilium scilicet, immobiliumve bonorum ad privatos cives pertinentium occupationem, aut Civium ipsorum capturam, quam quidem licitam esse ex principiis supra positis patet. Prima pignoris, altera obsidum loco apud occupantem sunt, atque adeo aequitas postulat naturalis, ut priusquam pignus tamquam rem propriam distrahas, aut obsides in servitutem redigas debitori spatium deliberandi concedas, an luere pignus, obsidesque invitos redimere, et alio pacto tibi satisfacere velit. Oblata reparatione, violenta expletio juris non necessaria, adeoque illicita; denegata vero, in res occupatas acquiritur quantum ad damnum et injuriam reparandam, et ad futuram praecavendam sufficiat. Huc referri debent mobilia, vel immobilia bona, quae fortasse in Territorio nostro sunt, et quae ad subditos

adversae Gentis pertinent, quo spectant et actiones, et credita; altera enim pignoris loco detinere, altera non solvere potest Imperans, ut reluctantem populum ad satisfactionem obliget.

Adversarium hac in re Grotium habemus qui lib. 3. c. 2. §. 1. ait, Represalias, et Androlepsiam illicitas jure naturae; neminem enim ex facto alieno teneri atque adeo ejusmodi inter Gentes consuetudines ad Jus Gentium voluntarium refert. Non tamen animadvertit, factum Civitatis, seu publicum, esse factum singulorum ex ipsa civitatis, et summi imperii natura; singuli enim pro debito civitatis tenentur. Apposite Seneca de *Beneficiis* lib. 4. c. 20. ait - Si quis patriae meae pecuniam credat, non dicam me illius debitorem, nec hoc aes alienum profitebor: ad exolvendum tamen hoc portionem meam dabo -

Ex Represaliarum et Androopsiae natura, et objecto patet eas non ad privatorum, sed ad majestatis jura pertinere, ad quam unam pertinet jura populi adversus populum tueri; quamvis enim de damno privatis civibus a privatis item exteris civibus illato agatur, laesis jus tantum esset in laedentium bona, et personas: Represaliae autem et Androlepsia simul ac civitas expostulata satisfacere detrectat, in cives omnes, etiam innoxios exercetur, quia non privata injuria, sed publica vindicatur, et non in laeden-

tes tantum, sed in omnes jus oritur. Non igitur in peregrinos, qui forte in territorio populi laedentis inveniuntur, aut qui domicilium ibi non habent, uti qui mercaturis, studiis etc. operam dant, non in eos quos passus es in tuo territorio immorari, licet ad hostis populum pertineant, non in ministros publicos juxta mores hodiernos Europae, qui inviolabiles sunt.

Quamvis tamen et innoxii cives ob alienam injuriam jure impetantur a populo cui damnum illatum, illud certum est, quod si quis Represaliis causam dedit, is damnum jubente Principe sarciat oportet; actiones enim suis auctoribus imputantur. Si autem actus publicus, vel Summi Imperantis in causa fuit ut extera Gens Represalias exercuerit, damnum privatis illatum ab omnibus reparatur pro rata; Civitatis enim, vel ejus Rectoris actus singulis civibus jure tribuuntur, cum civitatis voluntas externe saltem veluti singulorum voluntas jure censeatur.

ART. X.

De jure belli

At si omnia prius expertus est Populus, nullaque jam explendi sui juris via patet, Bellum suscipere nec naturalis, nec Evangelica lex prohibet. Itaque *Bellum* est statum hominum, qui

necessitate exigente jura propria vi aut tuentur, aut exequuntur; atque adeo complectitur durantem temporis tractum, cum nempe intermissis communibus humanitatis officiis, populus cum populo per vim certat, donec quod enatum est controversiae, aut victoria, aut pactione decernatur. Est autem bellum aliud *publicum*, aliud *privatum*, aliud *mixtum*; primum si populus cum populo pugnet, alterum si inter privatos geritur, tertium si populus contentione exorta in contraria scinditur studia et pars una in alteram, aut quod idem est pars subditorum in Principem bellum gerit, et *civile* quoque appellatur.

An bellum aliquando licitum sit inutiliter apud nos quaeritur, qui alibi evidenter ostendimus violentam juris sui exequutionem inter privatos non tantum licitam, sed etiam aliquando praeceptam, quod enim privatis licet in naturali statu, id et populis, et Principibus licere manifeste patet, non enim quod in civilem societatem coierint homines, naturalia jura exuerunt. At cum imperio Civili constituto, privato inter se bello populus renunciaverit, summique Imperantis sit publicae tranquillitati consulere, jus belli publici ad jura majestatis pertinet, nec publicum dicitur, nisi utrimque geratur auctore eo qui vel summam in Civitate potestatem, vel saltem indicendi, gerendique bel-

li a populo, ejusve Rectore mandatum habeat.

Si bellum contra momentaneam, vel impendentem aggressionem suscipitur *defensivum*, si ut quod nobis perfecte debetur vindicemus geritur *offensivum* dicitur. Itaque fieri potest, ut populus populnm adoriatur primus, et nihilominus bellum defensivum gerat, cum nempe adeo manifestis indiciis alter in alterum infensum animum et ad vim inferendam paratum ostendit, ut de proxima aggressione dubitari non possit; qui enim populus alium occupat qui jam gladium stringit ut repente et ex insidiis eum invadat se defendit potius ab hoste, quam hostem aggrediatur; nam cum arma parat, occultasque struit insidias, et requisitus de vi non inferenda cavere renuit, bellum jam gerere dicitur, quamvis nondum hostili impetu alterum aggressus sit.

Tunc igitur Bellum inter gentes licitum cum vim licitam esse in Jure naturae diximus, ergo nulla alia justa belli causa esse potest quam illata injuria, aut impendentis injuriae periculum quod nonnisi adhibita vi praecavere possis. Injuriam autem dicimus eam tantum, quae jus alterius perfectum laedit. Itaque veritati consentanea non est nonnullorum sententia qui cum Grotio docuerunt, bellum licitum esse populis, ejusque Rectoribus non tantum ob injurias in se, et subditos suos commissas, sed et

ob eas quae quamvis ipsos peculiariter non tangant attamen enormem aut naturalis legis violationem aut divinae majestatis laesionem continent, ut ecce in eos qui in Parentes impii sunt, qui humanam carnem epulantur, aut Deum negant, vel falsa, aut absurda de eo opinantur. Sed alibi jam diximus quo pacto alter populus alterius curare debeat perfectionem et felicitatem, et monendos potius eos qui errant, quam vi et armis cogendos ut feritatam, et inhumanitatem exuant, Deumque eo quo par est cultu venerentur. Itaque tunc tantum bellum defensivum licitum si vis tibi illata injusta: si justa non ut vim vi repellas, sed ut illico satisfactionem praebeas, et aequas offeras pacis conditiones lex naturalis jubet; offensivum autem justum erit, si injuria quam vindicare aggrederis manifesta, nec alio pacto, quam armis reparanda.

Hisce principiis constitutis, facile patet, injustum omnino esse bellum ad imminuendam crescentem potentiam, quae nimis aucta nocere posset; cum enim propriae securitati consulere cuique populo sit jus perfectum, si quis populus virtute, et sapientia duce, commercio, et industria opes auget, et fortuna comite Imperii fines amplificet, atque adeo arma, milites, classem comparat, munimenta, et arces in finibus extruit, instrumenta bellica congerit, ad-

versus hostiles impetus se tutum praestat, nemini injuriam facit, quippe qui jus suum perfectum exequitur; itaque nulla in eum justa causa belli esse potest. Nec quod te impune laedere auctis viribus possit, ideo eum aggredi jure potes, ut vires, et potentiam quam times imminuas; nam quamvis imminens futurae injuriae periculum adhibita vi etiam praecavere possis, id tamen verum est cum periculum et impendens est, et agenti libero intrinsece imputabile. At si rerum ordo naturalis sit, ut quis ad eam auctus sit potentiam, ut me impune laedat si velit, laedere tamen velle nullo pacto constet, vis in eum illicita, tum quod nulla lege prohibebatur ne eatenus cresceret, atque adeo nullius jura perfecta laeserit, tum quod incertum periculum, et intrinsece tantum possibile necessitatem vis adhibendae non parit, quae quidem justa arma praecedat semper oportet. Nam si ex eo quod alienam vim pati possim ad vim inferendam jus habeo, non video cur non liceat in naturali statu hominem occidere, aut mutilare saltem, ob id, quod ei natura membra tribuerit firmiora, et animi, et eorporis viribus ceteris praestet.

At si populus de quo agitur consilia agitet ambitiva, et nocendi voluntatem manifestis indiciis ostenderit, ut de ejus animo morali certitudine constet, jam periculum futurae injuriae

imminet, et in ejus causam moralem, si nulla mitior via supersit, vis licita, qua populus cogendus, non ut facultatem nocendi, sed ut consilium ponat, et de noxa caveat futura.

Cum injuria aut illata, aut inferenda una sit justa belli causa, manifeste liquet, alterutrum bellantem injuria agere, et bellum utrimque per se justum esse non posse. Attamen fieri potest, ut neuter bellantium injustus sit, si nempe uterque bona fide agat et opinione juris sui. Cum enim quisque debeat in naturali statu de jure, et injuria ex interiori animi judicio statuere, cum subobscura multoties sit veritas, aut in ambiguo sit, et delitescat, uterque potest alteram contradictionis partem tamquam veram assumere, et alteruter errore invincibili laborare. Fieri igitur potest ut pars aggrediens se necessitate coactam ad vim inferendam putet, altera vero se injuria lacessitam bona fide arbitretur, et illatam vim vi repellat, atque adeo bellum ex alterutra parte injustum sit, et tamen bellantes juste agant saltem externe. Exinde fit ut utrimque bellum externe justum praesumendum, et utriusque bellantis eadem sint in bello jura, quod quidem non jure Gentium voluntario, sed a naturali oritur, quo cautum est, ut Gentes inter se liberae sint, atque adeo de causa belli, ejusque justitia liberum judicium ferant nemine contra-

dicente, et si culpam, aut dolum admiserint, unum habeant Deum cognitorem, eorum injustitiam quamvis externe impunem, etiam post cineres vindicaturum. Licet tamen externe saltem utriusque bellantis arma legitima habenda sint caeterae tamen Gentes si bello, se immisceant, proprium sequantur judicium oportet, eique ferant auxilia cujus justa esse arma arbitrantur, contra enim interius animi judicium nulla actio licita esse potest. Nemo tamen quia liber, foedera bellica inire cogitur, quamvis enim indigentibus opem ferre lex jubeat, in collisione sibi potius consulendum esse quam alteri diximus, atque adeo nemo ut bello se immisceat cogendus sine naturalis libertatis laesione. Qui igitur populi à bello abstinent *neutri* vocantur, eorumque territorium vel *pacatum*, vel *neutrum* dicitur. Neutralitas autem in genere, in eo potissimum sita est, ne quid neuter populus faciat, quo alteruter validior fiat in bello, aut alterutrius motus impediantur qui immediate ad bellum referuntur, nec uni neget, quod alteri permittit.

Neutralitas igitur non impedit, quominus bellum gerentibus officia humanitatis omnia neuter populus praestet, dummodo se utrique aequum praebeat nec alterum alteri praeferat nisi forte officia erga se ipsum cum officiis erga alterum collidantur. Itaque si uni frumentum

quo non indiget, aequo pretio vendiderit, quod superest, et usui publico necessarium est alteri vendere non tenetur. Quia tamen officia humanitatis imperfecte debita sunt, per vim a bellantibus non exigenda, praesertim ea, quae in pacati populi perniciem verterentur, ut transitus militum per territorium, vel fugati exercitus receptus. Poterit tamen milites inermes quamvis transfugae sint, veluti peregrinos recipere, iisque asylum praebere, nec legem neutralitatis, aut jus pacis amisisse dicetur nisi speciali pacto id vetitum fuerit. Et quia neutrius partis esse debet, et a bello omnino abstinere, neutri etiam suppeditabit quae directe ad bellum referuntur. Ab omni etiam commercio abstinendum cum iis qui obsidione tenentur, ne aliquo pacto proxima vel deditio vel oppugnatio retardetur, quod est contra Neutralitatis legem. Quapropter commercium pacatae gentis cum utrisque bellantibus per se vetitum non est, dummodo circa eas res non versetur quae vel directum in bello usum habent, vel belli finem, aut saltem operationis bellicae efficaciam retardare possunt, quae prohibita intelliguntur ex ipsa neutralitatis natura, et quae vulgo dicuntur *contrabbando di Guerra*. Acerrime tamen multoties et scriptis, et armis disputatum est inter Gentes quae nam in commercio exercendo belli tempore prohibita esse dicantur; qua-

propter quae Gentes potissimum navigationi incumbunt si quando in Europa bellum, exardeat ut facile exorituras controversias declinent et paci consulant, percusso cum bellum gerentibus foedere, quid nominc prohibitarum mercium intelligendum sit statuunt. Ceterum cum nostrum sit Juris Gentium theoremata tantum exponere, prohibitas merces omnes enumerare, et indicare non vacat quippe quae facile deteguntur si neutralitatis naturam supra declaratam probe quis noverit. Violata quoad commercia neutralitate, quae jura bellantium sint adversus neutrales populos dicemus alibi; interim quinam sint hostes, et quae res hostiles dicantur inquiramus.

Populi qui inter se bellum gerunt *hostes* dicuntur. Quia vero populus persona moralis est ex individuis constans, indicto, et denunciato bello a Summo Imperante, indictum a tota Gente intelligitur, atque adeo bellum moventis subditi omnes hostes habentur a subditis illius in quem bellum geritur et viceversa, nulla habita sexus, aetatis vel ordinis ratione; indicto igitur bello, si ita expedire publicae saluti videatur, monendi sunt peregrini hostis subditi ut intra certum tempus e territorii finibus egrediantur facta potestate res suas alio asportandi. Transacto constituto tempore velut hostes habentur in solo proprio nisi vi majore

impediantur, quo casu opportuna dilatio concedenda, nam ex alieno infortunio emolumentum capere et barbarum, et inhumanum est.

Hostes itidem sunt ii omnes, qui quamvis bellum moventis non subditi, tamen ei conjunguntur, et vi vel antiqui, vel recentis foederis ei opem ferunt, et tamquam socii bellum gerenti accedunt; nam statim ac bellum indictum, et denunciatum hosti, foederatis etiam omnibus indictum intelligitur.

Res autem hostiles sunt, quae ad hostes pertinent sive in ejus dominio sunt ubicumque sint positae, nam non quod intra fines hostium inveniantur, sed quod earum dominium ad eos pertineat hostiles dicuntur. Quapropter si in territorio hostili res mobiles sint ad subditos pacati populi pertinentes, hostiles non habentur: immobilia autem, sive praedia aut urbana, aut rustica, quae in hostis territorio posita sunt, et ad peregrinos pacatos pertinent rebus hostilibus adnumerantur; peregrinus enim tamquem possessor subditus est hostis cum nulla esse possit territorii pars quae dominio publico subtrahatur, quicumque tandem sit privatus ejus possessor, atque adeo fundi particulatim divisi qui territorium Gentis componunt, veluti Gentis ejusdem bona censentur.

Sed jam stricto ense alter hostis in alterius pernicieem ruit, et praesens vis aut impendens;

vi armata repellitur. Quidnam in tanta officiorum perturbatione, quantumve liceat in hostem? Quonam pacto armata vis temperanda in bello, ne ultra justitiae fines progrediatur? Facilius quidem est quid non liceat in res, et personas hostiles, quam quid liceat statuere. Si enim huc revocentur, quae supra diximus de sui defensione in naturali statu, et populis per vim certantibus aptentur prescriptae regulae, quae necessariam, et inculpatam tutelam moderantur, vix aliquid supererit, quod hic loci addendum sit: attamen quia bellum publicum a privato habita ratione illud gerentium plurimum differt, de eo quod licet in bello principia generalia pandamus.

Cum jus belli ad jura necessitatis referatur, nec vis adhibenda quam aut illata injuria, aut impendentis injuriae periculum inevitabile, quam aut reparare, aut evitare nisi vi adhibita possis, sequitur eatenus vim licitam in hostem, quatenus vel ad illatam injuriam vindicamdam, vel ad impendentem praecavendam est necessaria. Quoniam vero inter Gentes nullus est superior, nullus est etiam qui bellum gerenti modum vis adhibendae praescribere legitime possit, atque adeo violenta media quae ad finem belli consequendum necessaria sunt, bellum gerentis judicio, optioni, et conscientiae sunt necessario relinquenda. Quare defensionis, vel offensionis

excessus quamvis interno naturae jure illicitus, tamen externe saltem justus haberi debet, non quod id voluntario Gentium jure sit constitutum, sed quod quae lex naturalis homini libero jus dat alienam injuriam aut etiam injuriae periculum vi adhibita propulsandi, eadem ejus judicio permittat oportet de defensionis, offensionisve quantitate statuere. Verum quidquid detrimenti utrimque affertur in bello ultra defensionis necessitatem illicitum, una enim necessitas vim hostilem justificat. His positis facile est quid non liceat in hostem in generalibus belli causis indicare.

Cum nulla vis licita nisi ob defensionis necessitatem, si qui fuerint inter hostis subditos, qui tibi injuriam vindicanti, aut perseqnenti jus tuum, obsistere aut nequeant, aut nobint, in eos vis omnis illicita, quia non necessaria. Itaque senes, foeminas, infantes, supplices captos, deditos necare et atrox, et inhumanum, alteri enim aetatis, vel sexus causa non possunt; alteri qui positis armis in tuam veniunt potestatem, et misericordiam deprecantur, obsistere amplius nolle manifeste declarant; nullum ergo jus in alienam vitam esse potest cum nulla sit defensionis necesitas.

Objiciunt tamen nonnulli quod quemadmodum licet in bello eos qui actu arma gerunt ac injustam vim inferunt interficere, eodem pacto

eosdem necare licitum, postquam inviti ad arma ponenda coguntur, et fiunt captivi. At falsum est licere eos in bello interficere, quorum vis mitiori via propulsari possit, ergo falsum est etiam captos necare jure naturae permissum quibus nocendi, resistendique facultatem captivitate tantum adimi potuisse constat, atque adeo internecionem non fuisse necessariam quam unam licitam esse demonstravimus.

Quapropter simul ac capti inermes in tuam venerunt potestatem, jam in eos jus belli cessat quod a defensionis necessitate oritur. Nec poenae nomine eaptos licite interficies quod nempe hostes fuerint, ac damnum dederint; nam cum utrimque bellum justum censeri debeat qui tibi vim inferunt, vel a te illatam propulsant nullnm crimen admittunt. Quod si captivi a custodia victoris evadere conentur, aut aliquid contra eum moliantur, morte eos afficere, si nulla alia, eos continendi supersint via licitum esse putandum est, non quod hostes fuerint, sed quod hostes sint adhuc. Ut igitur captivorum tumultus vitentur, mos quidem laudandus inter Europae Gentes invaluit, ut captivi dimittantur sub conditione, ne durante bello militare servitium praestent.

Quaeri hoc loci solet quibus armis uti liceat in hostem; verum si summum naturae jus spectemus quem licite occidere potes, hunc gla-

dio, an veneno interimas nihil esse videtur; attamen apud moratiores Gentes execrabile facinus habitum est aut veneno, aut armis veneno infectis uti contra hostem, et quos posses arce inclusos actis subterraneis cuniculis ignis ope uno impetu obruere, hos venenatis aquis emedio tollere infame et inhumanum. Unde nam haec perpetua cum communi hominum opinione naturalis legis dissentio? Videntur J. C. non bene originem juris interficiendi hostem detexisse; non enim quod hostis quis sit, aut quod bellum publicum quis gerat, ideo eum quocumque pacto interficere licet, sed quod vel actu te aggrediatur, vel tibi jus tuum reparanti actu resistat necare potes per modum necessitatis omni vindictae cupidine, et acerbitate seposisa. Quin si ad normam naturalis legis agere hostis in hostem velit, dolebit quodammodo se eo redactum ut interrecione vim repellere cogatur.

Ncn eo quidem consilio bellum gerunt, qui extra pugnam Imperatorem adversum quiescentem, et imprudentem veneno, aut percussore interficiunt, et Regum, vel Ducum capita licitantur: eos igitur voluntas, non necessitas necat, nec tam atrox consilium suscipitur sine odio, a quo temperandum etiam in bello. Hinc Jure Gentium hujusmodi insidiae vetitae, et qui eas moliuntur execrabiles habentur, et sup-

pliciis quoque afficiuntur. Fontes igitur, et aquas veneno inficere illicitum; quos enim vulneratione a bellando potes avertere, hos morte afficere vetitum, et quem necare licitum, hunc veneni cruciatibus torquere vetitum: venenatis autem aquis non tantum ii qui arma gerunt occumbunt, sed ii etiam qui a bello abstinent quibus parcendum diximus. Licet tamen et fontis venas intercidere et flumen avertere, et aquas sine veneno corrumpere, ut obsessi ad deditionem eogantur, sine caede enim, et sanguine hostis pertinaciam retundere humanum est.

Quamvis tamen hostium vitae multoties parcendum natura jubeat, omnes tamen sine discrimine capi, et detineri possunt ea enim quae vires hostium imminuunt licita sunt in bello. Quare ex capturae objecto sequitur, nullum aliud jus esse victori in captos, nisi ut eos vel libera, vel violenta custodia asservet. Quod olim apud Romanos ceterasque Gentes in perfectam servitutem capti in bello redigerentur, barbarum fuit, ac jure meritoque ejusmodi abusus a nostris moribus exulare jussus est, quae quidem mansuetudo Religionis Christianae lenitati accepta referenda. Itaque apud Europae Gentes captivi positis armis et pace composita utrimque restituuntur, vel in victoris transeunt civile imperium. Licebit etiam victori si velit captivos dimittere pretio cujus quantitas mutuo

consensu definitur. Cum autem libertas cum pretio redemptionis permutatur, pretium debetur statim ac libertate donatus fuerit captivus; itaque si accepta de pretio fide dimittitur domum captivus, et in libertate moritur debetur pretium, si in hostis potcstate secus.

Eaedem regulae jura in res hostiles dimetiuntur, quae capi, et vastari eatenus possunt quatenus necessitas vel tuendi, vel reparandi juris exposcit. Ceterum si necessitas urgeat, et urbes incendere, et fruges corrumpere, et diruere tecta, et arces, et munimenta solo aequare, et terras hostium populari et vastare licet in bello, non quod urbe capta victor dominium acquirat, sed quod necessariae defensionis jure id omne liceat, sine quo aut illata injuria reparari, aut impendens averti non possit.

Res autem hostiles capere in infinitum licet etiam ultra debiti modum, ut pecuniarum, frugumque penuria minuatur bellum, et hostium animi fracti ad pacem concilientur. Sed si ultra debiti modum res capiantur et acquirantur ad minuendas hostium vires positis armis restituatur oportet quod supra debitum est; debiti autem nomine hic venit non tantum primarium unde bellum ortum duxit, sed subnascens etiam ex belli impensis et damni ab hoste dati reparatione.

Quamvis tamen ad quosdam effectus hostis subditi omnes hostibus admunerentur, non tamen cuique privato hostis subdito praedas agere, et diripere res hostiles licet, sed iis tantum quibus a summa potestate bellum gerente mandatum est, ut de represaliis diximus; ad majestatis enim jura jus belli pertinet, cujus est quantitatem, et modum vis inferendae statuere, et actus bellicos decernere. Itaque cum nemo qui res hostiles diripit agat jure proprio, sed jure et nomine bellum gerentis, cujus qui actu arma gerunt quasi instrumenta sunt vel potius operarum locatores publicis impensis conducti, ad summam potestatem praeda pertinet non ad privatos milites.

Quod autem res captae intra modum debiti, et futurae securitatis in captoris dominium transeant non est dubitandum; si quis enim rem ipsam quae nobis debetur per pacem reddere nolit jus dat ut per compensationem, et juris nostri expletionem de rebus suis eae nobis acquirantur quae tanti sint, quanti aestimandum est quod nobis ab eo debetur. Cum autem quod hostis hosti debet in bello latissime pateat, et arbitrio bellantis relinquendum sit quousque vires hostiles minuendas censeat, ut futurae securitati prospiciat, quae capiuntur, legitime capta saltem externe, atque adeo capientium fieri existimandum est.

Itaque praeda bellanti populo acquiritur simul ac in ejus venerit potestatem, nempe ubi in tutum locum sit abducta, tunc enim occupatio perfecta, et antiqui domini spem probabilem eam recuperandi amisisse censentur; si enim facto impetu res ab hoste captae illico recuperentur, ante qnam ad suos, vel in locum tutum se receperint praedatores, non habentur tamquam captae et in praedatoris dominium translatae. Haec de mobilibus bonis, quae hostibus erepta capientium fiunt, tum ob supra posita argumenta, tum quod si ea vastare, exurere, corrumpere ad vires hostium minuendas licet, multo magis sua facere, distrahere et in pecuniam convertere licere dicendum est. Agrorum autem, castrorum, urbium, provinciarum occupatio bellica dominium occupanti non parit, statim ac iis insederit, sed firma requiritur, manens, et duratura possessio quae non acquiritur nisi armis positis jure cesserit hostis victus, aut populus interierit omnino; durante enim bello dum utrimque pugnatur, et occupati territorii recuperandi spes ab antiquo domino non amittitur, et occupans non illud animo domini tenet, licet ab eo interim possideatur.

Attamen uti legitimus captae Urbis, vel provinciae possessor jnre sibi acquirit redditus omnes, et jura quae veteri domino debebantur, qua propter si dies solutionis venerit et debi-

tor mandato violenti possessoris coactus ei debitum solvat liberatur.

At si personae aut res captae vel benignitate fortunae, vel hostis humanitate vel quod ita inter se pepigerint bellantes in nostram denuo redeant potestatem., quid juris? Facilis est hujus quaestionis solutio, si nostra huc revocentur principia. Cum illud officium sit civitatis, ejusve rectoris ut privatorum libertatem et dominia defendat, et ab externa, internaque vitueatur, atque adeo injurias singulis illatas publica vi, publicisque impensis vindicet, si res in bello ablatas recuperet, aut subditos ab hostium liberet captivitate, omnia in pristinum statum restituenda esse manifeste liquet, ob eam enim causam praecipue in societatem conjuncti homines sunt. Haec rerum et personarum quae ab hoste in bello captae sunt, in pristinum statum restitutio *Postliminium* dicitur, ex reditu nempe in limen, vel fines publicos; quapropter quae denuo in nostram redeunt potestatem veluti numquam capta ab hostibus praesumuntur.

Interdum aut necessitate exigente aut pacis componendae causa bellum quodammodo utrimque suspenditur, et hostiles actus aut omnino, aut in parte saltem intermittuntur, quae quidem suspensio, et intermissio, *Induciae* vocantur, quaeque pactum publicum sunt a summis potestatibus bellum gerentibus,

vel a supremis belli ducibus earum nomine, et mandato initum, ne invicem in datum tempus se lacessant, et hostiles actus utrimque suspenduntur manente tamen bello, cujus induciae velut feriae quodammodo haberi possunt, idem enim rerum status quamvis actionis hostiles quae ad bellum spectant cessent omnino. Si ad actus omnes hostiles, et ad quemcumque locum induciae extenduntur *generales*, si ad nonnullos *particulares* dicuntur, quae potius armorum suspensio, vel *armistitium* nuncupantur. Suspenditur igitur bellum, non finitur induciis, et constituto tempore transacto, nova belli denunciatione opus non est; cuique tamen intra fines territorii quidlibet facere licet dummodo ab hostili actu abstineat; quaeritur autem utrum hostile sit defensionem parare, dirutos muros instaurare, castra immutare, aggeres, munimenta excitare militiam legere et cetera hujusmodi. Non hostile esse nec contra inducias asserunt multi, nec quidem immerito; hostile enim proprie dicitur quod vim publicam in alteram partem continet. Si quid igitur publico consilio hostile admittatur. Induciae violatae, et jura belli ex altera parte illico reviviscunt; si privato indemnis praestandus hostis, et violator puniendus.

Restat ut de jure victoriae dicamus. Itaque cum justa arma sint quibus necessaria, nec

aliud belli objectum et consilium sit, nisi vel ut illatam vindices injuriam vel inferendam avertas, in victum nullum jus belli. Victus dicitur is qui vel sponte, vel invitus etiam arma ponit, nec amplius juris tui exequutioni adversatur. Aut victoria igitur absoluta et universalis bello finem imponit, et populus omnis in quem bellum geritur subjugatur, aut ejus pars tantum; si populi pars dat manus victas, cessat illico jus belli, nihilque aliud juris in victos acquiris; nisi quod suadet necessitas ut in fide maneant, et ab eorum caveas futura laesione. Si igitur imperium civile in te deferant, jam ex hostibus subditi sunt, et non belli legibus, seu Imperii Civilis jure regendi. Si tamen suspecta deditorum fides certumque defectionis periculum imminet, expugnatae Urbes depraedari, vastare, incendere victor potest, victosque veluti captivos custodire; tunc enim status belli perdunt.

Cum vero universus subigitur populus, nullum aliud jus paritur, quam exigendi quod bello causam dedit, additis belli impensis, reparatione damni et futurae laesionis cautione. Si igitur ad futuram praecavendam injuriam necessarium existimet victor subacti populi occupare imperium id licite efficiet, namque in id tacite consensisse populum qui se victoris arbitrio remisit jure praesumitur, nec eo pacto laesum

dixeris hostem, quod injuste bellando ad id redegerit victorem ut ei civilem eripiat libertatem jure necessariae, et inculpatae tutelae.

ART. XI.

De Pactione pacis.

Raro bellantes extrema experiuntur incerti belli discrimina; infirmiores enim mnltoties metu trepidi, ut ingruente tempestate in navi fit, jactura aliqua praesentem redimunt belli calamitatem, ultimumque Imperii, et libertatis excidium; qui autem plus valent, aut pares sibi videntur saepe cogitant quam multae, quamque improvisae in bello mutationes accidere soleant, atque adeo et propriae consulentes utilitati, et naturali justitiae aurem praebentes ad pacis pactionem convertunt animum; et percusso amicitiae foedere praeliis, et concertationibus finem imponunt; justum enim, et sapientem virum decet belli initia invitum suscipere, extrema non libenter sequi, bellicas actiones si necessarias humanitate temperare, uno verbo pacis causa bellum justum gerere; quemadmodum ergo bellum gerere, ita et pacem componere ad jura pertinet majestatis.

Ceterum cum ad pacem pangendam convertuntur bellantes, certas de pace componenda regulas tradere impossibile, cum omnia a contrahentium consensu pendeant, et si qua circa pacis conventiones quaestio exoriatur, rectae interpretationis regulis, quas alibi exposuimus res controversa definitur. Exinde factum est, ut qui de Pace ineunda conveniunt, ante omnia generalem decernant *amnestiam*, quae est eorum quae utrimque in bello et belli causa gesta sunt publice sancita oblivio, ita ut damna illata, hostilitates, injuriae, expensae penitus ultro, citroque deleantur, et facta censeantur tamquam infecta. Eo pacto refraenata ira, animisque ad pacem compositis, quae restituenda, quae praestanda hinc inde statuitur publico foedere, cujus fidem sanctissime servandam, multoties docuimus.

Itaque quae de Induciis diximus et hic valent, nempe ut post perfectas pacis pactiones capta restituenda sint, damna vero quae reparare nefas infortunio tribuenda, si illata ab hostibus fuerint antequam ad eos pacis notitia legitime pervenerit; quae ut videntur solent bellantes populi qui de pace acturi sunt, armistitium interea temporis decernere.

Quamvis autem non sine expresso, aut tacito eorum, quorum interest consensu, pacis caussa imperii pars alienari non possit, non se-

quitur alienationes invalidas esse; validitas tamen ex eo pendet quod summo Imperanti inevitabili necessitate coacto jus sit se obligandi ne in posterum abdicatum vindicet Imperium, nisi id lege aliqua cautum sit; tunc enim abdicatio ipsa irrita omnino, nisi totius populi consensus accedat.

ART. XII.

De Legationum Jure.

De Legatis agentes, quae sit eorum origo, a quibus mittantur, qui mittendi, in quo eorumdem repraesentativus character consistat, quibus privilegiis fruantur, quaenam sint litterae credentiales, tempus denique, quo legatio perdurat inspiciemus.

Neque commercia exercere inter se Gentes, nec res et operas invicem communicare, nec exorta bellu compescere, ac pacem componere possent nisi aliqua esset negotia expediendi, ab ipsa naturae lege proposita via. Cum igitur memorata officia expleri nequeant nisi per legationes, sequitur legationum jus perfectis Gentium juribus esse adnumerandum adeoque legatos sine causa, et extra collisionem officiorum rejiciendos non esse.

Legati sunt qui a populo libero ad populum liberum mittentur negotii publici gerendi causa. Eos igitur non mittunt, nisi qui summi Imperii sunt compotes, quibus accensendi et qui inaequali foedere conjunguntur de quibus alibi diximus, si illaesa jura majestatis ex foedere supersint. Quamvis tamen non rejiciendos legatos lex naturae jubeat, si alterius erga alteram gentem officia id exigant, nihil obstat, quin negotio confecto ad quod gerendum constituti, illico dimittantur, atque adeo legationes assiduae antiquis omnino ignotae rejici optimo jure possunt· Non tamen improbandas censeo; eo enim pacto et amicitiae vincula inter populos non facile dissolvuntur et si qua subnascatur dissensionis causa, omnia quam citissimo ad pacem, et concordiam componuntur.

Legati decernuntur a Principe qui rei gerendae aptissimi omnium videntur vel subditi, vel exteri sint, vel infimo, vel sublimi loco sint nati; dignitate enim ceteros antecellere existimandus qui a summo eligitur imperante ut publicae rei curam gerat a quovis igitur civium ordine eligi legatus potest, dummodo electio ipsa superbiam mittentis, et arrogantiam non arguat.

Auctoritatem ejus a quo mittuntur afferre legatos ex legationis ipsius natura et objecto eruitur quippe qui Principis nomine, et jure

loquuntur, et commissum sibi munus exercent; non tamen sequitur, legatum referre mittentem quod ad ejus majestatem et dignitatem; haec enim legato, seu mandatario, aut negotiorum gestori necessario, et ex mandati natura tribuenda esse non liquet. Quare character ille *repraesentativus* ut ajunt, quo legatos insignitos dictitant ut pro mittentium personis habeantur, non Juri naturae, sed Gentium pactis acceptus referendus. Itaque Principem mandantem repraesentant legati in iis omnibus quae negotium gerendum respiciunt; in ceteris autem omnibus si summum Jus spectetur ut peregrini habentur in alieno territorio commorantes; atque adeo et ipsi, eorumque comites, et omnes loci jurisdictioni, et legibus subjiciuntur, exceptis tamen iis actibus, qui directe ad negotium, cujus cura ipsis a Principe commissa est referuntur; simul ac enim legationem admisit summus Imperans, omnia concessa intelliguntur, sine quibus munere suo fungi legatus nequit.

Privilegia igitur, quae nonnulli fortasse ambitioni inservientes concessa jure naturae dictitant, ut nempe legati, eorumque comites quasi extra territorium constituantur ita ut legibus et jurisdictioni populi apud quem vivunt non tantum in iis quae immediate ad legationem pertinent, sed in ceteris omnibus nullo pacto subjiciantur, ut a vectigalibus sint immunes, ut

asylum ad aedes suas confugientibus praebeant, ut in familiam suam jurisdictionem habeant, et cetera hujusmodi, nullum in Jure naturae, et gentium fundamentum habent, et a concessione ejus pendent apud quem degunt. Ad haec tamen licet a naturali aequitate aberrantia legatis concedenda non necessaria privilegia facile J. C. prolapsi sunt, quod falsa supposuerint juris fictione, legati domum extra territorium Principis ad quem mittitur positam esse, et arbitrati sint universale jus Gentium a moribus populorum, et rerum gestarum exemplis deducendum esse tum quod apud Graecos, et Latinos scriptores, de legatorum sanctitate, et inviolabilitate magnificas sententias legerint, et Jus Legationum non tantum hominum praesidio sed etiam divino jure vallatum. Sed quae duo primo loco supponuntur, ea falsa omnino esse ex nostris principiis manifeste deducitur quod autem ad tertium attinet, animadvertendum est haec tam magnifice dicta de Sanctitate Legatorum ad eos legatos pertinere qui ab hoste ad hostem in bello mittebantur, qui sancti, et inviolabiles dicuntur quamvis ipsi hostes essent, contra quos omnia licita existimabant veteres. Sancti igitur, et inviolabiles merito dicebantur legati, in eos enim nihil hostile licitum, qui hostes quodammodo exuerant, et in fidem conlati publicam ad castra vel urbem hostium tamquam ad pacati,

et amici populi societatem veniebant. Itaque in eo legatorum sanctitas praecipue versabatur, ut jus belli in eos suspenderetur omnino, et ab injuria hominum defensi et muniti ad suos tuto reverterentur.

Quod unum cum recta ratione consistere posse videtur, illud est, ut legatus sive assiduus, sive extraordinarius, jurisdictioni Principis ad quem missus est non subjiciatur, et si delinquat, quidve aliud agat, quod securitatem, et jura populi apud quem degit, laedat, Principi suo puniendus tradatur. Nam quamvis summo Jure nemo esse possit in civitate, qui publici Imperii legibus non pareat, attamen ex legationis natura, illud sequi sponte diximus ut legatus sanctus et inviolabilis, sit in iis omnibus quae ad Legationem pertinent. Itaque, et facta et dicta omnia quae necessaria videntur legato ad munus suum explendum impunita esse debent tum ex legationis natura, tum ex gentium consensu: quis autem et factis, et dictis quae ad legationem rationem habere possunt, modum praescribit? Admissa igitur legatione, et ipsa impunitas in omnibus legato concedenda fere necessaria videtur. Huc accedit, quod si Jurisdictioni Principis subjiceretur in iis, quae ad legationem referri non posse videntur, legatio ipsa non libera, non tutus a vi, et fraude esse posset legatus, quod legationes rariores,

et difficiliores redderet. Quapropter cum legationes et utiles, et necessariae sint inter gentes quae vix obtineri possent nisi impunitas legatis concederetur, aequum est ut non tantum in iis, quae legationem immediate respiciunt, sed in ceteris omnibus legatus in genere imperio et jurisdictioni territoriali subtrahatur, ac tradatur delinquens Principi suo puniendus; privata enim injuria communi humani generis bono rependitur, nec publicae securitatis interest per quem delinquens poenas criminis luat: in genere autem diximus, nam in specie si necessitas urgeat, et salus publica legati culpa periclitetur, quaevis honesta, et justa est expediendae salutis via. Excepta personali inviolabilitate, quibusdam etiam finibus circumscripta, altera omnia privilegia legatorum ita a concessione Principum pendent, atque adeo incerta sunt, ut nullo pacto certa fieri ratione possint.

Cum legatus tamquam Principis procurator haberi possit ad unum vel plura negotia publica constitutus, atque adeo jura ejus omnia a mandantis voluntate pendeant, non prius legati jure, et privilegiis utitur, quam mandatum exhibeat, quo se legatum a Principe ostendat. Mandatum hujusmodi quibusdam ut plurimum litteris continetur, quas legatus ei ad quem mittitur exhibet, et quae *Credentiales* dicuntur, eo quod constituens Princeps in iis testatur se

velle ut legato suo credatur, fidesque habeatur tamquam ipsi sibi, promittitque se rata habiturum ea omnia quae legatus mittentis nomine sit contracturus.

Jus autem, et potestas legati expirat revocatione, vel morte mandantis, itemque morte ejus ad quem missus erat legatus; incertum enim est an cum successore mandans agere velit de eadem re, cujus procurandae causa legatum constituerat.

FINIS

INDEX

CAPUT III.

PARS III.

CAPUT. I.

CAPUT II.

NIHIL OBSTAT
Joseph Maria Graziosi Censor Theolog.
IMPRIMATUR
F. Dom: Buttaoni M. S. P. A.
IMPRIMATUR
A. Piatti Patr. Anthioch. Vicesgerens